

R.16466

PHILOCENTRIA

S E U

DE INNATA CORPORUM PROPENSIONE

A D C E N T R U M

J. P.

P O E M A

IN DUOS LIBROS DIVISUM.



BONONIÆ MDCCLXXIV.

Ex Typographia Sancti Thomæ Aquinatis.
Superiorum Facultate.

A. 1821382375





es. 89
26




Re

73
51







185138237

R.16466

PHILOCENTRIA

S E U

DE INNATA CORPORUM PROPENSIONE

A D C E N T R U M

J. P.

P O E M A

IN DUOS LIBROS DIVISUM.



BONONIÆ MDCCLXXIV.

Ex Typographia Sancti Thomæ Aquinatis.
Superiorum Facultate.

A. 1851382375

THE
LIBRARY

OF THE

AMERICAN

PHYSICAL

AND



BONNIE MDCCXXIV

Printed and Published by

Ex Typographia Sancti Thomae Aquisgranensis.
Lugdunensis.

P R Æ F A T I O .

Postquam inducta in scholam philosophicam accuratiorē veritatem investigandi methodo, pulcherrima naturæ ridentis species mortalium oculis veris, & genuinis coloribus conspicienda apparuit, ita poeticæ artis cultorum nativa elegantia castissimos in se amores pertraxit, ut relictis illis tantopere antea celebratis rerum fabulorum argumentis, ad ornandum illustrandumque prodita naturæ arcana optimi quique, ac sapientissimi poetæ omnes ingenii sui facultates, atque opes converterint. Existimarunt enim illi maxime acuti, & cordati homines, nihil a quopiam tam præclarum, tamque ordinatum fingendo excogitari posse, quo non aliquid præclarior, & meliore ordine donatum, tum quod maximum est, cognitione nostra dignius, ac fructuosius sola referatæ naturæ contemplatio, quacumque ex parte illam intueamur, nobis subministrare possit. Horum ego exemplum sequutus, quamquam non essem meæ tenuitatis ignarus, argumentum, in quo musæ meæ exercerentur, hujusmodi delogi, quod licet e rebus notis sumptum & commune primo aspectu videri possit, propter intimam nihilominus cum præcipuis, ac perpetuo in sensus nostros incurrentibus secretæ cujusdam virtutis effectis, plurimum admirabilitatis, & ad omnes cujuscumque generis homines sese extendentis eruditionis habiturum sit. Ecquis enim tam inculti atque abiecti animi inter mortales erit, qui de terræ hujus, quam inhabitat figura, ejusdemque subtilis

promovendæ , ac conservandæ latentibus causis , quod philosophi tanto labore , & studio invenerunt , paucis verbis addiscere haudquaquam sibi curæ futurum putet ? Quis adeo hebes , atque , ut ita dicam , omnis sensus humanitatis expers , si modo aliquis ad eum de vastissimis huic , quod calcamus , solo suppositis terris , & nationibus rumor pervenerit , qui non ullo tangatur desiderio sciendi , qualis oppositarum sit inter se regionum habitus , easque incolentium situs , quam diversa pro varia constitutione locorum cœli imminentis facies , syderumque conspectus ? Tum quadripartitæ illius ad maturitatem frugum , & attemperationem corporum tantopere necessariæ temporum commutationis , dierum item , & notium quænam diversis in locis sit ratio , & vicissitudo ? Reliquorum vero innumerabilium , sui que admiratione , omnium mentes excitantium effectorum , quæ ex insito , & naturali gravium corporum motu , ac mutuo conflictu oriuntur , cum indefinenter sub oculis nostris constituta sint , si quis rationem intimam , ac legem ignoret , næ ille in hoc sumptuosissimo rerum universitatis theatro , velut spectator inglorius , aut potius inanimatus stipes versabitur . Atque hæc quidem omnia , aliæque quamplurima ad scientiam Optices , Astronomiam , & Navigationem pertinentia , quæ in magnis aliorum voluminibus dispersa , & infinitarum , ut ita dicam , rerum , & quæstionum mole obruta delitescunt , ita ex illius vastissimi spatii immensitate in arctum deduxi , ac veluti sub uno conspectu intuenda proposui , ut ad unicum omnia , idque simplicissimum gravitatis principium haud multis circuituum ambagibus revocaverim . Quæ quidem gravitas , cum corpora omnia hunc nostrum , inferiorem globum componentia ad medium locum vi quadam insuperabili adigat , atque in una diversarum ac dissimilium partium firmissima compage contineat , huic
 cum

PRÆFATIO.

5

cum primis nostræ terræ figuram, & constantiam: cunctis deinceps rebus ad eandem spectantibus ordinem pulcherrimum, ac decorem conciliat. Id habui lector benevole, quod te monitum velim: reliqua vero, quæ ad naturam hujus argumenti, totiusque operis dispositionem, accuratius cognoscendam necessaria videbantur ex duabus tabulis, quarum singulæ singulis libris præfixæ sunt, haurire poteris.



AR-

ARGUMENTUM

LIBRI I.

Proponit argumentum totius operis, tum post invocationem a versu 37. exponit naturam, & præcipuas centri proprietates, qui est omnium corporum communis terminus. Indicatis a v. 48. tribus potioribus opinionibus de causa gravitatis, quas deinde a v. 56. plenius, & exactius explicat, a v. 130. suam proponit opinionem, cuius item præstantiam probat a v. 141. ex gravissimis difficultatibus, quibus reliquæ omnes sunt obnoxia. Hinc a v. 230. proponit duos primarios effectus propensionis, & descensus gravium ad centrum terræ, cujusmodi sunt mutua adhæsiō partium orbis terraquei, & earundem apta conformatio in figuram sphericam, cuius figuræ proprietates nonnullas explicat a v. 252. His pro fundamento positis explicare incipit a v. 274. varia phænomena circa positum, & prospectum corporum, quæ quidem proxime oriuntur a terrestri figura, quæ, ut præmissum fuit, unus est ex præcipuis effectibus gravitatis. Ex illorum autem consideratione gradum facit a v. 335. ad explicandum phænomenon illud, quod experimur, cum ascendentibus nobis ad cacumen montis, subjectæ terræ, & maria videntur ad eandem altitudinem attolli. Unde exposita a v. 349. indole segmenti spherici, quale est pars quælibet terræ oculis hominis ex alto intuentis supposita, aperit sibi viam a v. 365. ad explicandum, cur aspicientibus nobis urbes, & montes intra certos fines constituti nusquam appareant, quamvis non sit tanta distantia, ad quam nostrorum oculorum virtus extendi non possit, quod item provenire

nire ait ab eadem terræ sphericæ figura. Quare a v. 394. ostendit, seposito hoc perpetuo impedimento, aliisque casu accedentibus, fore, ut a quolibet terræ loco, saltem armatis oculis telescopio, conspicerentur urbes, & montes cuiuslibet alterius regionis, cum non tantum illi distent a nobis, quantum lunæ montes, qui beneficio telescopii nostris observationibus subiiciuntur. His jam constitutis, rationem quærit a v. 437., cur e pluribus corporibus sub eodem sydere consistentibus, quæ terris sunt viciniora, licet æqualis cum aliis sint molis, citius dispareant; sublimiora vero non nisi ad longissimam distantiam. Quocirca proponit a v. 469. nonnullas opticæ leges circa lineas seu radios, per quos visus noster propagatur, ex quibus illius, aliarumque quæstionum pendet explicatio. Jam, ut regulam generalem constituat unde certo dignosci possit, quæ tandem res, & a quibus locis, seu ad quantam distantiam, pro ratione illarum altitudinis, conspici possint, fuisse explicat a v. 491. naturam, & multiplices proprietates circularum, quos vocant horizontes, ex quorum consideratione regula illa innotescit. Cum autem hæc doctrina, prout hic exponitur, maxime respiciat homines eundem situm servantes, transit a v. 504. ad eorundem circularum considerationem comparate ad hominem, qui per momenta locum, atque adeo etiam horizontem suum mutat, cuius rei ad maiorem evidentiam exemplum constituit in homine, qui navigio iter faciat, quod mare propter suæ superficiæ æqualitatem, & lævitatem huiusmodi inquisitionibus opportunius habeatur. Ac primo a v. 514. ostendit varietates omnes, quas homo ille ob mutationem sui horizontis experietur quoad corpora huius terræque globi superficiæ insistentia, uti sunt continentes terræ, insulæ, atque etiam naves. Postea a v. 545. agit de mutationibus, quæ comparate ad eundem hominem contingunt in cælesti superficie, unde dierum, & noctium oritur perturbatus cursus, ac prodigiosa inæqualitas, & quod hinc etiam necessaria

ris consequitur, horologii rotati ab horis legitimis aberratio, quod pariter cum aliis omnibus jam dictis ab eiusdem terræ sphaerica figura provenire multis rationibus a v. 633. demonstrat. Hoc a v. 658. innuit, quanta navigationi commoda ex horologii errore provenirent, siquidem ille eodem servato tenore immutabilis permaneret. Eiusdem vero navigationis difficultates a v. 668. commemorat, & amplificat, quibus tamen difficultatibus leniendis quantam homines industriam, & laborem impenderint compendio refert a v. 676., quæ omnia poeticis aliquibus fictionibus illustrat. Hac porro occasione disserit a v. 697. de stella polari, cujus ope navigii directio facile possit deprehendi, id quod etiam usu nauticæ acus obtineri posse ostendit a v. 715. cum eo tamen discrimine, quod ex hac nulla possit hauriri notitia loci, in quo navigium singulis momentis reperitur, ad quod stella polaris, licet non sufficiat sola, multum tamen deserviet. Quocirca a v. 735. quandam generalem doctrinam exponit de duobus circulis longitudo- nis, & latitudinis, quæ duæ res ad definiendum prædictum locum omnino necessariæ sunt. Et quidem latitudinem ope polaris stellæ posse dignosci ostendit a v. 761. Pro longitudine vero inveniendâ proponuntur a v. 790. nonnullæ methodi, ex quibus illa, quam nobis subministrat anomalia horologii rotati, cæteris anteponitur. Atque hæc quidem omnia velut intime connexa, & copulata cum sphaerica telluris figura, a qua omnino pendent, recte hic fuisse commemorata admonet a v. 891. Tum alia nonnulla addit, quæ ex eadem terræ figura ortum habent, uti sunt inæqualitas dierum, & noctium, ac tempestatum anni successio & vicissitudo. Singillatim vero de natura & causis nocturnæ obscuritatis multa disputat a v. 897. Denique ex eadem sphaerica telluris figura deducit a v. 999. triplicem illum ejusdem sphaeræ respectum, ex quo triplex illa denominatio rectæ, obliquæ, & parallelæ profecta est, tum convenientiam inter se punctorum, & circulo- rum orbis terrestris cum punctis, & circulis caelestibus, quæ sunt veluti prima, & præcipua fundamenta astronomicæ scientiæ.

9

LIBER PRIMUS.

Quid procul ad nostras tanto trahat impete terras
Corpora, dum liquidos scindentia fervida ventos
Antiquæ properant dulcissima ad oscula matris :
Cur eadem amplexus postquam tenuere cupitos ,
5 Et datur infano large se tradere amori ,
Ponderibus permessa suis loca proxima fundo
Exquirant , vastum sese agglomerantia in orbem ;
Quantaque , per terras proprios obeuntia motus ,
Per mare navifragum , liquidum perque æthera sursum ,
10 Legibus æternis renovent spectacula rerum
Dicere fert animus . Vos o præsentia vatam
Numina , si qua via est , profugum revocate poetam ;
Namque , fatebor enim , postquam juga sacra reliqui ,
Lurida me tenuerunt arva , atque horrida cultu : (a)
15 Juncus ubi immeritum calami decus obtinet , atque
Pro suavi viola , pro fulgido honore rosarum
Carduus , & spinis crescit paliurus acutis .

B

Hic

(a) Quæ in hoc atque in sequentibus versibus leguntur ad illud referenda sunt tempus, in quo auctor dimisso poetices studio ad lucubrandam de tota ratione legum, penarumque tam civilium, quam ecclesiasticarum commentaria animum appulerat, quarum rerum tristioribus ideis nondum penitus excussis ad hæc scribendum se contulit. Interim, si quid in toto hujus invocationis contextu, aut deinceps occurrat, quo poetica facultatis studium theologicis aut moralibus commentationibus aliquo modo præferri, seu musis ipsis aut nymphis aliqua vis, aut notities attribui videatur, cum id longissime absit a sensu & mente auctoris, tamquam poetice dictum accipiendum erit.

- Hic ego inornatus morum incomptusque magister
 Carmina dictavi cæstro formidanda minaci :
- 20 Qualia fatidico Theseus miser intonat ore ,
 Audax dum facinus lugens crocitanque per umbras
 Ultricem Divum mortales effugere iram
 Admonet horrendo exemplo , æternisque catenis .
 Nam modo crudeles scelerum prætoria circum
- 25 Verbere stridenti pœnas , modo fulmina sacra ,
 Pontificumque iras , submotaque limina Templi
 Edocui , nullum quo tristius edidit unquam ,
 Exercet diros , carmen , cum noctua cantus .
 Quare agite obscœnis mentem properate figuris
- 30 Solvere , imaginibusque recentibus addere lumen
 Purpureum , & varios docta super arte colores .
 Audior : antiquus rursus sub pectore vivit
 Spiritus , & placido impellit præcordia motu :
 Jam sacros modulos teneo , jam carmina vates
- 35 Reddo , infueto quem magicus furor excitat æstu ,
 Carmina Mæonio non dedignanda Poetæ .
 Est terræ parte in media , cui sydere nunquam
 Admovit lucem dextro Phœbi aurea flamma ,
 Conspectuque hominum subductum immobile punctum ;
- 40 Illud terra parens vallatum nam aggere densò
 Occulit , & vastis circumtegit undique costis :
 Centron dixerunt Graii , mox Itala tellus
 Exceptit , nomenque dedit de nomine centrum .
 Hanc e diverso gravia omnia corpora sedem
- 45 Respiciunt , totisque animis , & viribus ardent
 Præripere , ac sese , brebior qua semita ducit ,
 Ut teneant , impulsa deorsum pondere librant :
 Sive hæc natura gravibus sit reddita virtus
 Corporibus , centri aut potius vis illa putanda est ,
- 50 Alteriusve externæ causæ hæc ipsa prementis ;
 Necdum enim ea de re cunctis sententia concors .
 Pri-

- Primum illud docto, ut fertur, placuit Peripato,
 Posterius multi concordēs dogmate summo,
 Quamquam (eadem ut plures recipit sententia formas)
- 55 Disjuncti placitis aliquot verbisque, sequuntur.
 Princeps ante alios, probro qui auctoris, & annis
 Bis mille exactis lethæa in fæce sepultum
 Rettulit in scenam exsecrati dogma Epicuri,
 Suppositum cum jam limæ, gravioribus atque
- 60 Purgatum vitiis castigavisset ad unguem,
 Cassendus mediis punctum consistere terris
 Præcepit Regem, & regali more superbum
 Milite robusto, armatoque satellite sepfit:
 Hinc ille imperium profert super omnia late
- 65 Corpora, quæ terram hanc cingunt, & quæ sibi certa
 Devinxit lege obsequii: ac ne longius ire
 Attentent, multo fines custode tuetur.
 Ergo e regali folio, atque ima abside testi
 Turmatim in partes omnes se millia fundunt
- 70 Cum strepitu ingenti dira agmina particularum,
 Armorum quibus haud placuit genus omnibus unum;
 Namque hæ ramosis, inter se aptisque plicari,
 Decertant caudis, hamatis plurima turba
 Unguibus insultat, rostris pars fidit aduncis,
- 75 Duros hæ contos, flexis mucronibus hastas
 Expediunt aliæ, aut in morem falcis acutæ
 Curvatas promunt acies, gaudentque bisulcis.
 Hæ sese occulto per corpora laxa meatu
 Cum semel insinuant, atque intima viscera tactu
- 80 Pervadunt, dorso scabra seu parteprehendunt,
 Adnixæ abducunt parvi ad prætoria Regis,
 Et nisi interpositum corpus validum, aut pia tellus
 Auxilio subeant, & densa mole resistent
 (Tunc supera quippe illis quæ in regione residunt
- 85 Corporibus dabitur percepta sede potiri)

- Non ullis precibus listor, non munere pulchro
 Flectetur, nigras cogat quin ire sub umbras.
 Densum quod si aliquod corpus fiducia tanta
 Ceperit, externo tentatum ut robore quamvis
 90 Aera pervadens cælo post fata receptis
 Ætnæo bellum portendat more gigantum:
 Haud mora, præcipites terræ e regione propinqua
 Falcati insiliunt dorso incumbuntque manipuli,
 Verberibusque ægre exceptum, trepidumque severo
 95 Pœnarum cunctis crudeli strage futurum
 Exemplo, versus terram impelluntque ruuntque.
 Non tamen ascensu rapido quocumque libido est,
 Absque ullis metis, certo sine limite sursum
 Tendere concessum fato legionibus illis.
 100 Scilicet augusti citra confinia Regni,
 Quæ pater omnipotens posuit, jussitque per ævum
 Lunam infra solisque rotam, errantesque planetas
 Legibus immotis imperturbata manere,
 Vi cæca retinentur, quidquid nam spatii ultra est,
 105 Aut nullis paret dominis, aut jussa Tyranni
 Alterius sequitur, vicino qui imperat orbi:
 Singula quippe suos fines propriasque cohortes,
 Regem etiam proprium fluitantia sydera norunt.
 Gassendo laude ingenii haud Cartesius impar
 110 Diversum tentavit iter, terramque citato
 Vortice materiæ subtilibus ex elementis
 Involvit, quorum motu impulsuque, perennes
 Dum celerant flexus, atque indefessa rotantur
 Corpora, quæcumque incurrunt minus apta cieri
 115 Nisibus in gyrum motus torquentis, ad imas
 Concita trudentur partes, fundoque residunt.
 Tertius, inventis quem plurima gloria causis
 Reddidit illustrem cunctis, quas fervidus axe
 Aurato Sol lustrat mundi habitabilis oris,

- 120 Perpetuus celsi Neuton speculator Olympi,
Spectandum magicis totum dans artibus orbem,
Virtutem quamdam, neque enim hæc quid sit fatis ille
Explicat, e media terra dispergier omnes
In partes numeris docuit confusus & arte.
- 125 Hac nempe infusa ingentes virtute per artus,
Cujus & ipse modum, & legem invenisse putavit
Compactæ rerum moles, & corpora mixta,
Legitimos intra fines quæcumque morantur,
Nisibus imparibus terræ ad devexa trahuntur.
- 130 Ast alii, quorum melior sententia, causæ
Congenitæ amoto cuiuslibet interventu,
Rem totam, neque enim hoc indagatore sagaci
Indignum credunt, præsens cum postulat usus,
Ad legem quamdam supremam, numinis altam
- 135 Atque voluntatem revocant, quæ ut primitus omnem
Mundi compagem admirando hoc ordine rerum
E nihilo educens jussit consistere, tanti
Quin ullas operis causas comites adhiberet:
Sic solido nunc res constantes corpore fixum
- 140 Ad medium dextra omnipotenti fortiter urget.
Quippe hanc corporibus solidis sine mente superbam
Ingenii laudem tantam quicumque dederunt,
Ad centrum ut possint proprios disponere motus,
Tercentis quod plus annis schola tota probavit,
- 145 Incauti id dicunt, ratio cui nota repugnat.
Nam quæ tanta potest naturis mentis egenis
Scrutandi regionum habitum prudentia inesse,
Quacumque ut corpus terrarum in parte locetur,
Non modo quis maneat respectus ad infima mundi,
- 150 Et quo more sibi jaceat sine lumine centrum
Præsentire procul valeat, sed mille viarum
Præterea obiectis cæcis ambagibus, olim
Cecropiæ tectus quot nec dolus artis habebat,

- Si nihil impediatur, brevior quem linea signat
 155 Arripiant, semel arrepto nec tramite aberrent?
 Qui vero externæ adsciscunt consortia causæ
 Ut quondam Gassendus, ut & Cartesius ipse, (a)
 Principiis præterquam quod non omnia possunt
 Conciliare suis naturæ ostenta futura,
 160 Non satis expediunt, a quo vis illa movendi
 Proveniat pigris atomis tam provida fonte.
 Quin & consilio quos jam potiore negarant
 Corporibus, ni me ratio promptissima fallit,
 Materiæ externæ coguntur reddere sensus.
 165 Callidus at Neuton rebus semperque novandis
 Intentus, cum nil ultra jam dicere, tanto
 Quod foret ingenio dignum, quod nomine, haberet:
 Conculcata prius vacui decreta Lycei (b)
 In scenam mundo toto plaudente remisit.
 170 Diversum vel si quid ab illis protulit usquam,
 Ex quo descensus gravium sit causa petenda,
 Numinis id legem secretam credidit esse,
 Nobilis evadet nostri ex quo dogmatis Auctor;
 Laudandus dubiæ causæ quod plurima prompsit
 175 Non dubia effecta in lucem, numerisque notavit.
 Hinc quod sponte sua motum prout antea dixi
 Corpora concipiant nullo impellente deorsum,
 Nullo etiam posthac eadem cogente remittant:
 (Nam quis ita insanit, nativo ut robore centrum,
 180 Cum sit inane illud vero sine corpore nomen,
 Cre-

(a) Quamvis non me prætereatur, Cartesium, ac forte etiam Gassendum obfirmate negaturos descensum gravium provenire ex virtute aliqua materiæ impellenti intima, & congenita, an tamen id illi juxta sua principia satis constanter dicere, ac tueri possint valde dubio.

(b) Melchior de Folognac in suo Antilucretio lib. 4. v. 1067. de Neutono sic loquitur:

Virtutem occultam, & cæcos in corpore sensus

Debet Aristoteli.....

- Crediderit tantam posse hanc sibi subdere molem)
 Non alios in natura, ut reor, obtinet ortus,
 Omnipotens nisi quod sinuosi conditor orbis,
 Prospiciens longe rerum mundique saluti,
 185 Arctius ut centri studio conjuncta manerent
 Corpora, non aliter statuit motum inferere ipsis,
 Olim cum terras essent ventura sub imas,
 Debitus ac ordo ad centrum, & lex lata requirit.
 Utque prius sanxit fluerent cum tempora nondum,
 190 Propositi usque tenax veteris nunc tempore in ipso
 Exequitur, cedat victus quin ille labori.
 Illud enim hac in re cautus fuge credere, summus
 Stelliferi postquam cæli, terræque marisque
 Temporibus meditatam æternis conditor aulam
 195 Eggregio hanc opere extruxit, multa arteque finxit,
 Tædia uti fugiente die quem ignava laboris
 Ceperunt, segni reliquum induluisse quieti.
 Quin ille indefessus opus quod condidit, usque
 Immensum movet immotus, reficitque politque.
 200 Scilicet ingenitum causis dans ipse vigorem,
 His propius commiscet sese operantibus, atque
 Uno indivisus cum illis jungitur actu.
 Ergo & sydereos orbis impellit, & ipse
 Auricomo infusus soli bene tutus ab igne,
 205 Vesanam aspernans rabiem, fovet arva calore,
 Spirantisque comes zephyri sub tempore messis
 Pellit tabentes æstus, & membra relaxat,
 Ardentemque sitim restinguit frigidus haustu,
 Et sapit in frutice, & jucundum in floribus halat.
 210 Idem seminibus plantæ incrementa futura
 Insculpens, terræ vires aperit genitales:
 Unde etiam exiguo quondam de germine robur
 Prævalidi trunci, ramique & dulcia poma
 Provenient, mensis Regum adlatura decorem.

- 215 Cuncta hæc, atque alia innumera eiusdem ordinis ipse
 Sic Deus occulte exequitur virtute potenti;
 Ut quamvis se solo esset satis omnibus unus,
 Quo tamen antiquum rebus conservet honorem,
 Pro vario genere effectorum, atque indole certas
- 220 Adjungat causas princeps atque intima causa.
 Quod vero ad rationem quæsitam adtinet illam,
 Corpora qua medium loca per prærupta requirunt,
 Unius hanc operam supremi Numinis esse
 Contendo, media inter sit quin altera causa.
- 225 Denique seu nostra hæc tibi qualiacūque probentur,
 Seu quidvis aliud placeat mage, sit tibi certum
 Innumerabilium, quale id cumque esse putetur,
 Quæis tantum natura decus, tantumque vigorem
 Obtinet, effectorum occultam existere causam.
- 230 Nam primum æterno coeant quod foedere cuncta
 Terræ inter se elementa, & pars parti hæreat apte,
 Nullum quas ferri robur, nec vincla coercent,
 Unica causa huius monstri vis illa putanda est,
 (Seu tu legem, aliud quidvis seu dicere malis)
- 235 Corpora qua ad punctum unum ostendimus omnia niti.
 Hæc ima & terræ latera, ut ne victa dehiscant,
 Comprimit, hæc ponti fluxas agglutinat undas,
 Hac sine nullus honos, nulla & constantia rebus,
 Diffiliens vacuas sed tellus iret in auras.
- 240 Protensi demum quod campi, quod mare vastum
 Perpetuo flexu curventur, cætera moles
 Aere suspensa in vacuo, mirabile dictu,
 Perfecti referat speciem aspicientibus orbis,
 Quam nexus juncturaque, causam agnoscit eandem.
- 245 Quippe pererratis spatiis cum limite ab omni
 Corpora, quoad fieri possit, loca proxima centro
 Exquirant studio invicto, & percepta retentent:
 Tum sese, a medio ut cunctis distantia puncto
 Æqua-

- Æqualis fervetur, pro ratione locorum
 250 Immenso extendant dorso, effundantque remissa,
 Contingit sphaeræ in morem conclusa relinquit.
 Nam corpus, cujus sic partes dispositæ omnes,
 Extremis ut quæ disjunctæ finibus hærent,
 Sic mediæ, sic & reliquæ, quas continet una
 255 Texturæ facies, æqualibus intervallis
 A puncto distent quodam interiore, profecto
 Hoc sphaeram uno argumento convincitur esse:
 Punctum vero illud centrum, ex quo ducere adoras
 Si libeat radios, æquales esse videbis.
 260 Et vero in solidis ratio hæc validissima rebus
 Cum sit, quas propriis, naturæ ut jura ferebant,
 Nisibus in prima illa conditione relictas,
 Notis se donec stratis thalamisque locarent,
 Crediderim, liquidis in rebus fortius urget.
 265 Mobilibus quia enim constant ex partibus illæ,
 Quæ sibi permixtæ faciles labuntur & errant,
 Consequitur, quoties descendere ad ima vetantur,
 Sic sese hac illac sinuoso involvere plexu,
 Ut sectum pronò lapsu curventur in orbem,
 270 Altera quæ magni pars sit plusquam media orbis.
 Hæc memori si animo teneas, & mente fideli:
 Multa prius, densis tenebris quæ obducta latebant,
 Conspicienda tibi venient sub lumine claro.
 Ac primo terris sparsum genus omne animantum
 275 Concivesque tuos homines, queis patria tellus
 Communis, quamvis disinctos urbe, locisque,
 Quos decepta diu antiquorum credit ætas
 Æqua sub cælo curvo tellure vagari,
 Respice: quam varia stationis lege tenentur.
 280 Nam quo inter sese spatii majoribus absunt,
 Hoc magis & latere introrsum posito, & capite omnes
 Aversi insistent, talo plantisque propinqui.

Quod si forte duos, quorum sub cardine mundi
 Hic degat, zonam fecerit aequale alter,
 285 Ferventi solis quæ torrida semper ab igne,
 Concipiens homines, utriusque e vertice summo.
 Per medium geminas rectas (mirabile nostræ
 Mentis opus, cui nulla valet distantia obesse,
 Quin uno obtutu longe vel dissita jungat)
 290 Duxeris æquali terræ loca ad intima motu,
 Istis in punctum sensim vergentibus unum,
 Quod sphaeræ punctum ejusdem sit nobile centrum,
 Post tantum flexum compressa fronte coibunt, (a)
 Quantum censendo pars quarta explebitur orbis,
 295 Mensuram dante a pedibus qui tenditur arcus.
 At quanto spatii inter se accedere utrumque
 Contractis propius dabitur, tanto ille reductis
 Cruribus introrsum sua comprimet ostia flexus.
 Sed contra, longum quoties discedere cæli
 300 Oppositam versus partem continget eisdem,
 Majorem hic sensim incipiet diducere rictum,
 Et majore etiam terræ censebitur arcu.
 Disiunctos sed cum medio discreverit orbe
 Terræ interiectum spatium, tunc finibus ambo
 305 Admoti rectæ illius, quæ ducitur ipsum
 Per centrum, adversis figent vestigia plantis.
 Atque hi sunt illi Antipodes, antiquior ætas (b)
 Nescia quos veri, justo & plus credula, tantum
 Du-

(a) Angulum hic, atque iterum v. 298. appello flexum cum veteribus, qui voci angulus alium, quam nunc Geometra significatum subiciebant.

(b) Firmianus Lactantius Divi. Instit. lib. 4. c. 25. de Antipodis sic disserit. Quid illi, qui esse contrarios vestigiis nostris Antipodas putant, num aliquid loquuntur, aut est quisquam tam ineptus, qui credat esse homines, quorum vestigia sint superiora quam oppita, aut ibi quæ apud nos jacent inversa pendere, fruges & arbores deorsum versus exesere, pluvias, & nives, & grandines sursum versus cadere in terram?

- Durior hic, veluti emotæ deliria mentis
 310 Vulgato sensu multorum iussit haberi
 Inversos membris homines, qui, ut finxerat illa,
 Elatis fursum pedibus, tractoque deorsum
 Sub terram capite incedant, tum corpore toto
 Suspensi, casumque poli super atra mirantes.
 315 Ignari! qui nec vim, nec discrimina norunt,
 Inferni quæ vera loci existant superique:
 Communem propter nexum quorum una duorum
 Est ratio minor a centro, aut distantia major.
 Qua terris hærent homines ratione modoque,
 320 Hanc pedibus quæcumque suis innixa patentes
 Per campos, lucosque errant, animantia servant:
 Hanc plantæ, laurique sacratæ; & robora dura,
 Aerisæque arces, atque alta palatia Regum,
 Et quidquid tandem cælo hinc educitur alto.
 325 Excelsi unde etiam nemoroso vertice montes
 Ornamentum ingens mundi, classisque futuræ
 Spem validam nigris pascentes frondibus alnos,
 Majori ut spatio procul aufugere relicto,
 Averso magis in cælum se culmine tollunt;
 330 Herculeam ceu quæ durato e robore clavam
 Terrifico aspectu circum ambit plurima cuspis,
 Talem terra refert speciem, talisque videnda
 Civibus obiicitur lunæ, quacumque repandum
 Supponens oneri dorsum, quacumque rotunda.
 335 Hinc placido collis clivo cum jam superato
 Ascensu facili, ludentes forte retorquens
 In terram depressam oculos, pelagusque profundum,
 Oppositum æquor spectabis, camposque jacentes,
 Hæc procul immani cernes se attollere tergo:
 340 Altius & quanto juga cursu celsa tenebis,
 Tanto ad eandem metam ascendere cuncta videbis;
 Non quod vicinas superent spisso aggere, longe

- Quæ distant terræ, aut tellure sit altius æquor:
 Sed cum confusum terris mare, cultaque tellus
 345 Ductum ex ambobus pariter glomerentur in orbem,
 Protensum e clivo quoties spectaveris æquor,
 Secti se quacumque globi sub imagine sistet;
 Telluris quoniam tibi pars subiecta tuenti
 Segmentum est sphaeræ, cuius primordia sunt,
 350 E medio ad limbum quotquot diducier arcus
 Possunt, extremus quorum vicinior alter
 Limes sub collis radicem conditur imam,
 Alter ubi recipit visorum linea finem.
 Iam legem in longum quivis qua tenditur arcus,
 355 Solerti si quis studio cognoscere curet:
 A capite alterutro, sibi quod pro limite sumat,
 Observare potest ductu sensim ad medium uno
 Attolli semper, dorsum ex quo cordulam & inter,
 Quam subter per utrumque latus distendere oportet,
 360 In speciem confurget dissectæ area lunæ.
 Non alias igitur curæ sit quærere causas,
 Elato terræ pulsent cur lumina dorso
 Ex alto tendenti oculos, promptissima cum sit,
 Quæ a centri & sphaeræ propriis rationibus exit.
 365 Hinc cum binæ urbes munitæ turribus altis,
 Seu duo devexi montes, quos æquore vasto
 Disjungit sèpes inter se longa viarum,
 Diffugere procul: si quis spectator ab imis
 Mœnibus, aut humili montis radice micantes
 370 Intendens oculos urbem, aut montem æthere aperto,
 Sollicitus late vestigans usque requirat;
 Londini quamvis fabricatis lentibus, atram
 Queis licet ardentis maculam distinguere solis,
 Et quas ipse diu expectatas ære coemit
 375 Ingenti, armatus multa sub luce laboret,
 Non tamen hic urbem poterit, non cernere montem.
 Excel-

- Excelsum, nam occulta latent in lumine claro;
 Non quod noster eo nequeat se extendere visus,
 Ardua qui cæli potis est penetrare tuendo,
 380 Si ratio tantum mediæ spatii unica habetur,
 Et molis, quæ, immensum etsi distantia crescat,
 Vallatis oculis fieret saltem obvia lente:
 Urbem sed quoniam tenso dorso inter & urbem,
 Montem etiam, montemque inter protenditur arcus,
 385 Hujus apex summus loco ab inferiore tuenti
 Urbem oculis obiectu, & montem subtrahit altum.
 Ascensu quare ut quisquam ad fastigia turris
 Evadet, montisque excelsa cacumina anhelo,
 Urbes continuo oppositæ rupesque minaces,
 390 Antea quæ terræmersæ sub mole latebant,
 Ingenti superato arcus curvamine, sese
 Verticibus primum summis, deinceps corpore toto
 Spectandas longe jucundo lumine præbent.
 Hæc oculis nostris si non cernentibus essent
 395 Cæteraque interjecta obstacula noxia visus:
 Non minus Europæ extremis e finibus, olim
 Immenso æquato tractu terræque marisque,
 Per medias oculis terras, perque humida regna
 Vibratis, nullo potuissent obice cerni.
 400 Africa quos condit campos ditissima & urbes,
 Quam lunæ possint montes sub nocte serena
 Cum mari inaccessis, fuscis lacubusque videri;
 Quin magis; a nobis quoniam minus Africa tellus,
 Quam fulgens lunæ, mirum quantum, orbita distat.
 405 Æmula tunc romanæ urbis, laudisque juvenis,
 Per muros vaga discurrens Carthaginis altæ,
 Exosæ gentis potuisset conspiceræ arces
 Turratas, & opes aulæ fastumque superbæ.
 Romanusque puer suspensus ab ubere matris,
 410 Non bene sensum animi doctus signare loquela;

Ju-

- Junonis pario constructum e marmore templum
 Monstraret digito matri, tyriumque laborem,
 Averfans; essent quæ semina prima doloris:
 Unde instauratis toties conspectibus, olim
 415 Altera in alterius gens adiurata ruinam
 Hostilem longe biberet, traheretque furorem.
 Ut tellus, campique, & Neptuni humida regna,
 Sic quoque & ille vagus terris qui desuper aer
 Incubat, & totas veluti puerilibus ambit
 420 Fasciolis summa plantarum hominumque salute,
 Sic e tellure ascendit qui plurimus igne
 Halitus, immensum errantesque per æthera nimbi,
 Omnia ponderibus propriis urgentibus imas
 Ad terras forma se convolvere rotunda.
 425 Nubibus hinc cœlum quoties obducitur atris,
 Quales hibernis densavit mensibus aura
 Frigidior, spatiis quamvis æqualibus omnes
 Distent a terræ sit quæ sibi proxima vultu,
 In morem convexi apparent fornicis uno
 430 Cernenti e puncto cælo discedere opaco,
 Cujus apex alte summus testudine versa
 Eminent, at terris extrema jungitur ora.
 Unde etiam gravidam quod tunc se prodidit aura,
 Per longos cæli tractus humore refuso,
 435 Imbrem impendentem, tempestatesque futuras
 Noscimus haud vano augurio, & prædicimus ante.
 Nunc e corporibus cæli sub vertice eodem
 Dispositis serie ascendenti dicere promptum,
 Proxima cur citius lato sese aggere condant,
 440 Quantavis sint mole, gradum in diversa ferenti,
 Cum tamen excelsa resident quæ in parte tuentis
 Conspectum longe subeant; sic edita turris
 Ad spatium centum stadiorum mille, quod instar
 Exempli dictum sit, spectatoris ocellos,

Obie-

- 445 Objecto terrarum vallo, eludet acutos,
 Dum turri tamen impendens pellucida nubes
 Ex loco eodem totam se aspicientibus offert.
 Progresso tibi sed modicum subducitur ipsa,
 Tunc mage quantumvis percepto lumine forsan
- 450 Luceat, at contra tacitum cum Cynthia currum.
 Hac veheret, pleno conspecta est orbe micare:
 Longius ingressu sed cum processeris, olim
 Luna tibi motu cæli loca prima revifens.
 Obliquuo, vultum aspicienti dura negabit:
- 455 Inde pater quamvis radianti lampade Phœbus
 Emicet, & multa inducat se luce videndum.
 Denique digresso puncto telluris ab illo,
 Cum jam navigio vectus curruve volante,
 Circuitu quartam partem confeceris orbis,
- 460 Non turris, quæ fixa plagæ confederit illi,
 Non nubes, non luna silens, non lucidus ipse
 Phœbus, non cælo labentia sidera noctu,
 Siquæ apici summo turris suspensa minantur,
 Amplius huc tibi converso cernenda dabuntur.
- 465 Quæ prono quoniam cuncta e curvamine terræ
 Proveniunt, centri quod virtus abdita finxit,
 Suntque aliis vulgo ignota, admirandaque cunctis:
 Carminibus nostris exponi jure reposcunt.
 Visorum recolat leges qui mente sagaci,
- 470 Objectam rem ille inveniet fas esse videri
 Nullam, submoto nisi quovis obiice, recta
 Ex oculo ad corpus decurrere linea possit.
 Subiectis ut vero istud vicinius arvis
 Inguet, hæc terris propius conjuncta feretur:
- 475 Corpore sed pariter surgente, assurget & illa.
 Pendula propterea e terris quæ longius absunt
 Corpora, majori spatio observanda patebunt.
 Scilicet ex oculo ad corpus quæ linea tendit

(Nam

- (Nam quæ alia ex causa possunt obstacula nasci
 480 Haud moror , includi certa quod lege recusent)
 Alta petens , dorsi immanis retinacula vitat :
 Cum contra abiecto fertur quæ tramite , tergo
 Supposito impingens , cernentem lumine frustrat .
 Auctis sed tandem spatiis , aucto aggere terræ .
 485 Ipsa quoque æthereas ædes quæ proxima tangunt ,
 Ductu interrupto , visus qui dirigit ictum ,
 Dulcibus ex oculis furto subducta recedunt .
 Jam legem ut teneas certam , ex qua discere possis
 Quæ res cumque valent suspensæ , atque unde videri ,
 490 His modo quæ dixi pauca hæc addenda supersunt .
 Quolibet e terræ puncto , qui terminus esto
 Unius , valet e multis quæ linea duci
 A centro ad supremam oram , si circulus apte
 Volvatur , cuius margo secet ultima cæli ,
 495. Omnia cum teneat radiorum condita in uno ,
 Queis noster visus regitur , discrimina textu ,
 Ille videndarum rerum certissima norma .
 Quidquid enim celsum supra hunc caput exeret orbem ,
 Eiusdem a centro jus esto id fasque videre :
 500 Unde & finitor latio sermone vocatur ,
 Quod certum rebus statuatur finem ille videndis ,
 Grajugenis patrio sed nomine dictus horizon ,
 Magnorum cingunt qui spheram circulus alter .
 Ast proprius cunctis quoniam respondet horizon
 505 Atque hic diversus terræ punctis , quoties te
 Deseruisse locum primum continget eundo ,
 Ad gressus omnes tecum mutabitur ille ,
 Et cum illo pariter visorum ex ordine limes .
 Hanc ideo ob causam tutum sternentibus æquor
 510 Navigio (in pelago melius quoniam ista notantur
 Quod nullis , terræ ut præruptæ , montibus usquam ,
 Nullis planities turbetur vallibus illa)

- Curvati aspectus paulatim vertitur orbis.
 Ac primum e portu navis cum solverit alta,
 515 Si terram pronam aspicias littusque relictum,
 Hæc condi sensim pelago superante videbis,
 Post humiles colles, atque alto vertice montes,
 Donec se tellus oculis subduxerit omnis:
 Nec tibi jam trepido quidquam quacumque tuenti
 520 Occurret præter cælum undique, & undique pontum.
 At parte opposita dentatæ culmina summa
 In speciem ostendet ferræ procul altera terra,
 Inque vices medio sese hæc nunc gurgite tellus
 Attollet, mediis undis nunc se altera condet:
 525 Plurimaque in scopuloso erumpens insula ponto,
 Æstivo ut qui dant ludos sub sole natantes,
 Ad notas posthac tenebras submota redibit.
 Interea visorum qua ultima linea currit
 Præcelsæ ex undis emergens navis acumen
 530 Obtutu nautas dubio male torquet avaros:
 Num puppis sit amica hæc, & cui fidere possint?
 Num contra, mare quod latronibus infestari
 Fama refert, illa vectetur publicus hostis?
 Incertum; sed dum curarum fluctuat æstu,
 535 Scinditur & varium studia in contraria vulgus,
 Jam binæ adversæ naves urgentibus austris,
 Velorum illustres cultu, longisque carinis
 Accelerant cursum, propiusque ad mutua tendunt
 Oscula, jam pacis signum, quæ prima timori
 540 Causa fuit, prior ingenti super arbore mali
 Constituit, simili respondet & altera signo:
 Fit strepitus late pelago, clamorque virorum
 Inde salutantum, cuncta & sibi fausta precantum.
 Nec minus ærata scindentibus æquora puppi
 545 Post aliquot soles facies pulcherrima cæli
 Mutatur, varia ut cursus fert lege modoque.

- Nimboſis nam navis iter cum credita ventis ,
 Poſt tergum , ambit qui mediam terram , orbe relicto ,
 Promovet ad claram converſa Lycaonis urſam ,
 350 Oppoſita aut cæli culmen quod parte renidens
 Aſſurgit nunquam nobis , alio æquore puppis
 Perſequitur , ſtygiam præter proveſta paludem :
 Sydera tunc vero fulgentia multa ſub axe ,
 Antea ſubieſto pelago quæ merſa latebant ,
 355 Apparent , contra a tergo ſe plurima condunt ,
 Quæ fuerant oculis primum conſpecta tuentum .
 Hibernique dies apicem unum verſus eunti ,
 Præ terris retro cunctis , quas illa reliquit ,
 Decreſcunt ſemper , gelido ſub ſydere donec
 360 Perpetuæ currant ipſi ſine lumine noctes .
 Æquali at creſcunt æſtivi fænore ſoles ,
 Perpetuum donec tandem ſub ſydere eodem
 Conſiſtat lumen rutili ſine nocte diei .
 Omnia ſed contra evenient redeuntibus inde :
 365 Sydera quandoquidem , lætos quæ plurima vultus
 Extulerant imo e pelago , jam lambere ſummas
 Oceani aſpicient oras & mergier undis ;
 Adverſaque ultro cælum de parte micantes
 Quæ fuerant ſubducta oculis attollere tædas .
 370 Præterea hibernæ fient illis brebiores ,
 Amoto æſtivæ majores lumine noctes .
 Jam cæli donec poſitis ſub parte benigna ,
 Linea qua medium decurrens dividit axem ,
 Æquatis cedant ſpatiis nocteſque dieſque .
 375 Occaſum at quoties cœptum curſum inter , & ortum
 Deſpiciens tumidas undas ratis alta tenebit ,
 Tunc ſiquidem ad nigrum occaſum properabit ab ortu ,
 Sydereum nautis agmen cum principe ſole
 Feſtinum ſurgens occumbet ſerius , unde
 380 Sol ſupera , & ſtellæ ſolito plus tempore , lentos
 Dum

- Dum peragunt orbes, in cæli parte moratæ,
 Efficient longos pariter noctemque diemque.
 Digressus quare ex uno qui respicit ortum
 Portu navigio ad solem quicumque cadentem
 585 Instituat conversus iter, cœptumque sequatur,
 Emenso donec toto jam cursibus orbe,
 Post solidos bis sex menses revolubilis anni
 Opposita portum invadet de parte relictum:
 Si recte motulas teneat, nec summa sefellit,
 590 Unum deprendet numero excessisse dierum.
 Quod si iter e portu occiduo prora urget ad ortum,
 Omnia tunc contra; collatis namque diebus
 Pluribus inter se, quorum rupto ordine nunquam
 Excipiat signis alium volventibus alter,
 595 Postremis sensim lætum accelerarier ortum
 Cum nigro occasû, actæ pro ratione viai,
 Continget, totos brebiori & claudier orbe:
 Unde redux, circum emensis terraque marique,
 Post annum fixo numero accessisse aliarum
 600 Inveniet justam lucem, quam circulo ab omni
 Multorum defecta dabunt fragmenta dierum.
 Ergo trium inter se aptatis rationibus, alter
 E quibus occiduas cursum confecit ad oras,
 Alter purpureum faciem conversus ad ortum,
 605 Immotusque loco tandem permanserit alter,
 Huic soli assuetis constabit lucibus annus;
 At primo solidum ante diem finem annus habebit,
 Postque diem pariter solidum anni meta secundo.
 Sic, superare fidem longo quod tempore visum,
 610 Fama refert tribus haud mendax mortalibus olim
 Diversis anni finem venisse diebus.
 His animadversis pronum est jam discere causam
 Erroris, pelago quem navita sentit in alto,
 Labentis retro fluxas cum temporis horas

- 615 Armato spiris intentus in indice quærit,
 Quem semper fidum expertus multo ille coemptum
 Ductoremque viæ, sociumque adlegerat auro.
 Eviçtis namque in longum ter quinque carina
 Partibus ex illis, bisseñas integer orbis
- 620 Ter decies quarum prodet: si tempora norit, (a)
 Quæ tacita ignoto cælo labuntur in illo,
 Quod procul a patria vento tenet incita puppis,
 Inveniet numerum horarum, quam ferrea cuspis
 Exhibet, a veris integra deficere hora.
- 625 Æquale & quoties spatium conversus in illum
 Sydereum tractum addet terris nauta relictis,
 Conspecta toties advertet cuspide, nigram,
 Quam ferit hæc, notulam simili mulctarier hora.
 Nec tamen hoc solis motu fallentis iniquo
- 630 Mortales vitium est (solem quis dicere falsum
 Audeat?) aurati aut etiam est ille indicis error.
 Sed natura loci, & mundi revoluta figura.
 Objectu laterum tanta hæc discrimina fecit.
 Scilicet indiculus subtili hic mole rotarum
- 635 Instructus, cujus necdum vis extera cursum
 Turbarit, terris horam quæ currit in illis,
 Unde fuit discessus, eburno signat in orbe.
 At quoniam terræque locus quicumque, marisque,
 Qui lætum propius ter quinis respicit ortum
- 640 Partibus æquatis, quarum revolubilis orbis
 Ter decies dorso bisseñas continet alto,
 Mane prius tota venientes suscipit hora.

Solis

(a) Cum hujus vocis gradus non idem sit significatum apud veteres, quod nunc est apud Astronomos, utor loco illius circumlocutione, qua gradus hujusmodi satis perspicue designatur, nam tricies ductis bis sex prodibunt 360, quot sunt integri circuli gradus.

- Solis equos, levius queis ascendentibus obstat
 Terrarum interceptum vallum; hinc parte diei
 645 Labentis, si quis recte observaverit horas,
 Consimili inveniet terris anteire relictis.
 Cum vero infertus dentatis orbibus index
 Aureus, ingenitis dum motibus ire sinatur,
 Tempus quod pigrum terris decurrit in illis,
 650 Unde fuit cursus, fulgenti cuspide monstret:
 Occidui quantum cessantes littoris horas
 Horæ præcedunt illæ, provectus ad ortum
 Navita quas cælo servat detrudier alto,
 Tantum hæ spectati prævertent indicis horam.
 655 Atque utinam inviolata hic error lege maneret.
 Perpetuus, posset nunquam ut turbarier ullis
 Motibus, aut retrotractum suspendere cursum.
 Ille ægram nautis ducentibus æquore puppim,
 Ostendens quantum hæc rutilos processit ad ortus,
 660 Confusum monstraret iter, perque abdita tutos
 Saxa simul scopulosque optatis sisteret oris.
 At nunc assidua emotæ vertigine navis
 Horarum concussi orbis illius amicam
 Turbantes erroris legem errore novello,
 665 Subsidium hoc tanto monstratum a tempore nautis
 Difficile, & vario objectum fecere labori.
 Nam pater omnipotens postquam vasto equore terras
 Disjunxit pelago, faciles haud esse viarum
 Excursus voluit: rabiem ipse sequacibus undis
 670 Adjiciens, genus Japeti ut compesceret audax,
 Ne vetitas ligno fragili contingeret oras.
 Quin etiam ipsem omnem statuendi certa regendis
 Gressibus indicia eripuit, vestigia nulla.
 Quod liquidis firmentur aquis, tum rara per æquor,
 675 Ad quæ oculos intendat nauta, cacumina surgant,
 Auxilium quare ille viæ, quod terra negabat,

- E caelo memoranda inter petere astra coactus;
 Sed labor incassum cecidit, nam conscia fraudis,
 Ne tam crudeles miseris mortalibus ausus
 680 Proferrent junctis opibus, stupefacta abierunt:
 Unde per immensos sinuata volumina gyros
 Magnum perpetuo ducentia circiter axem
 Impia nautarum luserunt vota fidemque.
 Quod si immota suis mansissent sedibus astra,
 685 Tunc facilis stratum cursus foret ille per æquor
 In quascumque ratem cuperet deducere terras.
 Servatis quoniam astrorum posituque locisque,
 Qualia multa polo lucent sub nocte serena,
 Quicumque ad notum sydus, quod desuper urbi
 690 Quæsitæ vasti oceani per cæcula regna
 Imminet, urgeret proram, discrimine nullo
 Optatæ ille viam recta telluris haberet,
 Propitio & tandem superaret flamine portum.
 Non tamen hic casu turbatus cessit iniquo,
 695 Desponditque animum victus certamine primo:
 Sed magis exacuit mentem, incenditque tuendo.
 Unam de toto stellam forte agmine vidit,
 Quæ rutilum juxta plaustrum se parvula pandit,
 Immotam servare locum, quam providus olim
 700 In plures fore credens ut deserviat usus,
 Constructæ inseruit sphaeræ, exiluitque reperta.
 Scilicet hæc stellas inter gratissima nautis
 Aptæ locum signare ratis, quem spectet eundo;
 Nam læva quoties sydus de parte micabit,
 705 Indicio id fuerit, puppim impellentibus auris
 Toto velorum nisu contendere ad ortum.
 Quod si mutato cursu conspexeris illud
 Ad dextrum fulgere latus, tunc nautica pinus
 Occiduas vento recta properabit ad oras:
 710 Hæc eadem, rutilum a tergo si fulserit astrum,
 An-

- Antra perusta austri conversa fronte tenebit :
 Ast boream , obsistet gelidum dum sydus eunti .
 Interea densis gravior cum nubibus æther
 Eripiet dubiis fidissima lumina nautis ,
 715 Syderis arctoi conspectum appensa sagitta ,
 Theffalicis olim magnes quam forte venenis
 Infecit , quantum adinet ad diversa notandum
 Puncta , quibus totidem velut actis machina mundi
 Cardinibus regitur , supplebit lege recepta .
 720 Scilicet ad boreæ sydus clinamine semper
 Exiguo vertens sese , nunquam a scopo aberrat .
 Quin depulsa , situm ut rursus sibi vendicet illum ,
 Quem semel arcani suasit violentia amoris ,
 Ancipiti longum gyro irrequieta movetur . .
 725 Illa regit dubiam navem , ostenditque magistro
 Quam velit in partem fluitantem inflectere clavum .
 Non tamen hæc trepido referet tibi cætera motu
 Commoda , suppetias terræ quæ addente figura ,
 Maxima hyperboreo venient a sydere nautis .
 730 Nam quibus oceani puppis jactetur in undis ,
 A meta quantum distet , quantumque viai
 Confecit , claræ si te non præterit artis
 Notitia , aptis nec desit labor experimentis .
 Sollicitus , multum ut teneas stella illa juvabit .
 735 Duplex ergo tibi statuendus circulus ; alter ,
 Æquatis longe spatii qui a vertice utroque
 Disjunctus partes terram dispescit in ambas :
 Alter ad occidui solis loca nigra recedens ,
 Dives ubi gaudet ferri cognomine tellus ,
 740 Hinc per utrumque polum terras complectitur arcte .
 Ille prior lato metando serviet orbi ;
 In longum ex alio terram metimur & æquor .
 Jam quivis vasto , quam late tenditur , orbe
 Fingatur terræque locus , fingatur & alti .

- 745 Quem geminæ prodent mensuræ, nullus in orbe
 Cum sit ei similis positus ratione modoque,
 A cunctis aliis pulchra discernitur arte.
 Ergo altam quicumque ratem per inhospita ducit
 Æquora, si norit quantum processit ad ortum,
- 750 E medio & quantum distet vento acta carina:
 Ille sciet vasti qua mundi in parte moretur,
 Quæve illum propius circumstent littora, & urbes,
 Quas fugiat fyrtes, quæ saxa latentia viret.
 Nec tibi jam geminam mensuram rite tenenti,
- 755 Cum late placido vento maria alta quiescunt,
 Majoris fuerit curæ, majoris & artis
 Navigium in portum recto deducere calle,
 Quam per iter medio patuli campi æquore sectum
 Effusis currum ad metam propellere habenis.
- 760 Sed jam unde egressi sumus ut tandem redeamus,
 In latum quantam partem decurreris orbis
 Parrhasium sydus juncto curvamine terræ
 Monstrabit faciem converso ad cardinem olympi.
 Nam cum excedenti tractu telluris ab illo,
- 765 Perpetuo pallens ubi nox est æqua diei,
 Incipiet vastum tellus submittere dorsum,
 Continuo arctoum sydus, quod diffecat oram
 Ejus horizontis, terris qui sternitur illis,
 Tantum ascendendo superas se attollet in auras,
- 770 Quantum tenduntur terræ post terga relicta.
 Unde hic, ad stellam e terris qui tenditur arcus
 Exacti in latum spatii mensura feretur.
 In longum vero metandi utcumque jacentes
 Per terras spatium ratio satis obvia constet;
- 775 At pelago in magno cunctis ignota latefcit.
 Quandoquidem nullum cælorum limite ab illo,
 Scrutando ingenium per quod mortale juvetur,
 Immotum sese sydus cernentibus offert.

Hinc

- Hinc vero arcani illius vis tanta, labori
 780 Multorum ingrato nunquam quod cedere novit,
 Nullo quantumvis cessatum tempore, nullis
 Ingenii partum curis, si forte latentem
 Æquora metandi quærendo extunderet artem.
 Felix qui talem poterit dissolvere nodum.
 785 Ille & nautarum meritis pro talibus, omnes
 Ante alios, tantam res per quos nautica dudum
 In laudem excrevit, grato celebrabitur ore,
 Magnorumque feret præstanti debita laudi,
 Utilibusque ausis ingentia præmia Regum. (a)
 790 Certior interea sese dum regula nondum
 Pandit, metando in longum quæ tergora ponti
 Sufficiat dubios calles stringente carina,
 Ut possint ratione aliqua cognoscere nautæ
 Effusæ quantum subterlabatur aquai,
 795 Instabilem celsa mensuram e puppe requirunt
 Dejecto, inque vices ad summum fune retracto.
 Sed tamen impulsu quoniam variabilis auræ
 Navigium cursu haud raro torquetur iniquo,
 Sæpe etiam immensum ventis turbantibus æquor
 800 Montrato nullus superest locus experimento,
 Difficilis ratio hæc incertaque credita semper.
 Indiciis homines aliis unde inveniendis
 Intenti, cælum pariter terramque profundam
 Auxilio exposcunt, jungentes ima supremis.

E

805

(a) Philippus III., qui Regni Hispaniarum administrationem suscepit an. 1598, cum probe intelligeret, quot & quantæ ex maritimæ longitudinis notitia ad tutum instituendum navigationis cursum utilitates provenire possent, præmium inveniendi certam regulam, per quam illa in pelago deprehendi posset, primum omnium constituit. Hujus exemplum postea imitati sunt Batavi, Angli, ac postremo etiam Galli, La-Lande Astr. T. 2. edit. Paris, an. 1764. Page. 1531. n. 3213.

- 805 Opposito quod enim pronum terræ aggere solem
 Tardante, inversa semper post terga relictum
 Respiciant sese spatium ratione, diesque,
 Præcipiti tantum cursu accelerantibus horis,
 Confecti quantum spatii decessit eunti:
- 810 Si cui constiterit quanto sibi tempore pulcher
 Dispescens axem medium sol luceat ante,
 (Commodior quoniam situs hic patet experimentis)
 Quam terris illis affulgeat unde recessit,
 Exacti summam spatii, ter quinque notando
- 815 Illarum partes, in quas discerpitur orbis,
 Hora pro quavis lapsa, securus habebit.
 Altera sed quantum medii lux alma diei
 Præcedat lucem mediam, mortalia corda
 Ut curis acuunt gravibus subigantque labore,
- 820 Scire vetant superi, longo nisi tempore casus
 Optatus diæ præsens subvenerit arti.
 Sic pelagi quondam findentibus æquora nautis,
 Quos varios post errores violentia aquarum
 Ad maris intentata loca atque incognita duxit,
- 825 Nulla viæ ex quibus apparerent signa sequendæ,
 Cum vento cuperet rector permittere navem,
 Ullam posse sibi desperans proficere artem,
 Syderis errantis defectus nocte serena,
 Quem centum ante annos Gallus prædixerat augur
- 830 Descripto in tabulis anno, & mense, & die & hora,
 Hora Parisiacis quæ tunc numerabitur arvis,
 Quæsitum horarum discrimen, certa locique
 Signa dedit fessis, terræ propioris & illos
 Spe lætos instanti ad vitam e morte reduxit.
- 835 Sydereos quia nam momento temporis uno
 Nigranti aspiciunt vultus turparier umbra
 Quique Parisiacos habitant procul æquore campos,
 Navigio & qui sollicitant terga ardua ponti,

- Longinquis quamquam disjuncti finibus absint :
 840 Si plures hic , qui male tutis errat in undis ,
 Horas dinumeret mediæ post tempora lucis
 Dilapsas , trepidum sydus cum mergitur umbra ,
 Momento quam quæ lapsæ numerantur eodem
 Urbem illam propter , tumidus quam Sequana largo
 845 Flumine fœcundat , quasque ipsa tabella docebit
 Inspecta : horarum noto discrimine , quanto
 Sol cæli medio sibi fornice splendeat ante ,
 Idem quam simili de parte affulgeat illis ,
 850 Immenso cingunt Paridos quos mænia gyro ,
 Colliget ; hinc vero urbs quantum sua distet ab urbe
 Principe dispositis tabula monstrante figuris ,
 Magnus ubi in parvo descriptus cernitur orbis ,
 Cognoscet pariter quanto statione relicta
 Profectus spatio in longum mage distet ad ortum .
 855 Verum nocturnæ nubes , quæ sydera sæpe
 Tempore , quo cæcis timide occultantur in umbris ,
 Eripiunt nostris oculis , tum rarior ille
 Defectus , nec sic facile observabilis alta
 E puppi , stellam siqua inficit umbra minorem ,
 860 Perpetuo id navis motu incertoque vetante ,
 Metando id pelago efficiunt minus utile monstrum .
 Quare inter cunctas , quas olim industria fertur
 Invenisse vias meditando , nulla reperta
 Apta magis fini illi vectorumque saluti ,
 865 (Sollicitæ modo non te curæ deserat ardor
 Horarum errorem firmandi perpete lege)
 Assiduo evasit quam quæ jam planior usu
 Cuspidis , in gyrum rota quam tibi plurima versans
 Applicet his horis , numerat quas terra relicta ,
 870 Antiquum semper servans , retinensque tenorem .
 Non tamen id quivis præstet plebejus index ,
 Sed quem docta manus multa perfecit arte ,

- Prævertat ne horas velox, tardusve sequatur
 Jam lapsas, qualem Londini Regia nullum
 875 Forte dedit, posthac nec multos forte datura.
 Præterea accedant opus est munimina quædam,
 Quæ pigrum indiculum tota cum mole rotarum
 A maris insanis assultibus undique tutum
 Reddant, monstrandis horis ne qua intereundum
 880 Turbetur ratione fluens æquo impete motus.
 Tam clari hanc operis possint ut ducere laudem
 Diversæ inter se longo jam tempore gentes
 Contendunt, positaque acuunt mercede laborem:
 Utque ferunt, votis eventus cessit avari (a)
 885 Artificis: multum aucta unde est fiducia nautis.
 Perfectæ aut quid adhuc forsitan si deficit arti,
 Multorum junctis studiis, junctoque labore
 Assiduo, ut spes est, ventura id proferet ætas.
 Quidquid erit, capient quæcumque hinc comoda nautæ
 890 Quantum vel mercaturis accedet honoris:
 Principiis ut jam e positis fit maxime apertum,
 Curvatæ ad formam terræ centrique vigorem,
 Exorsum unde suum hæc rerum miracula sumunt,
 Quod crebro monuisse juvat, revocare memento.

895

(a) Gemma Frisius, Metius, & plerique alii in Batavia crediderunt sub initium proxime elapsi sæculi, se tam artificiosum horologium ad exitum perducuros, sed tamen vanam fuisse illorum spem post multos ac diuturnos conatus eventus demonstravit. Noviter Sully horologiorum fabricator Parisiensis circa an. 1716. in constructione maritimi horologii linguarem suam industriam exercuit. Novissime autem Harrison cum in Angliâ huic tam desiderato operi perficiendo ab anno 1726. diligenter incubuisset, tandem an. 1762. novum indicem maritimum construxit, qui communem expectationem, & artificis desiderium explevisse videbatur. La Lande Astr. T. 2. edit. Paris. an. 1764. pag. 1531. n. 3214. Idem in postrema editione Paris. an. 1771. T. 3. p. 773. n. 5987. addit eodem anno, quo liber editus fuit, iter paratum esse, ac nova etiam tentamina ad inveniendam longitudinem ope horologii.

- 895 Sed me jam longo terræ pelagique labore
 Defessum majora vocant, vocat aureus ipse
 Lumine qui terras distinguit Phœbus & umbra.
 Tam varios quod enim sol unus simplice motu
 Efficiat sparsis populis noctemque, diemque,
 900 Ut vix una dies uni, nox altera nocti
 Conveniat, terras species ceu tempore in uno.
 Diversas, diversa ejusdem aut tempora terræ:
 Quatuor hinc vigeat quod tempestatibus annus,
 Et modo concreto pallefcent frigore campi,
 905 Urenti posthac tellus findatur ab æstu,
 Tum se interponens ætas placidissima veris.
 Nativum reddat plantis herbisque decorem,
 Autumni & tandem claudatur fructibus annus;
 At aliis eadem neglecto hoc ordine currant
 910 Tempora: si causam quæras discriminis hujus,
 Invenies primam, si non sit ea unica, terræ,
 Quæ gibbo immenso protuberat, esse figuram.
 Illud quocirca cum primis scire necesse est,
 Circuitum quemcumque die sol efficit uno,
 915 Obliquo dum nota premens vestigia motu
 Subiectum cohibet spiris ingentibus orbem,
 In geminos per horizontem discindier arcus.
 Ex quibus hunc, terram qui desuper inspicit altam,
 Describit cum sol torrens dat tempora lucis;
 920 At aliud contra, terris qui conditur imis,
 Sol lustrans tacitæ nobis fert otia noctis.
 His animadversis ratio sese obvia pandit,
 Quam dixi, tot cur uni regionibus axi
 Subiectis, uno & perfusis lumine solis
 925 Tam varia existat radiantis forma diei.
 Namque ut verticibus cæli conjuncta supremis
 Longius e medio loca terræ celsa recedunt,
 Majorem, aversus cum sol effulserit, ejus.

Quem

- Quem motu suevit Phœbus signare diurno
 930 Elato tellus dorso partem occulet arcus :
 Unde breves illo monstrantur tempore soles,
 Plurima sed noctis mortales obruit umbra.
 At loca cum jam sol eadem, post longa reversus
 Exilia, immixtis flammis vicinus aduret,
 935 Arcus majori nudata parte diurni,
 Obiecto quod tum sese minus aggere tellus
 Finitima opponat soli de parte micanti,
 Obsistet placidis semper mora longa diebus :
 Præcipiti at contra lapsu nox atra feretur.
 940 Jam varium hinc positum superæ loca dissita terræ
 Cum servent, bina ut non sit reperire sub axe
 Æthereo latis spatiis telluris opacæ,
 A Phœbo cæli æqualis quæ dividat arcus,
 Tam variæ mundo noctes venerè diesque.
 945 Atque illud sane fœcundam Numinis alti
 Tectis consiliis probat inter cætera mentem,
 Quod licet immensum variari lucis & umbræ
 Munera terrarum toto præceperit orbe,
 Nec latum obliquo rapidus cum tramite cælum
 950 Proscindit gemino conclusus limite Phœbus
 Ardentem currum propellat ad ultima mundi :
 Non tamen hi populi, solis qui semper ab igne
 Torrentur, gelido positas sub sydere gentes,
 Si tamen hic ullam credas consistere gentem,
 955 Extremi volvenda anni cum venerit hora,
 Despicient parcum concessum ob luminis usum :
 Sex totis illos quamvis nox mensibus atra,
 Hos vero duodenis vix unquam amplius horis
 Urgeat, & luci intervallum æquale relinquat.
 960 In summam quin tu collectis omnibus horis
 Nocturnis, horis collectis atque diurnis,
 Quæ loca per diversa fluunt dum labitur annus,
 No-

- Nocturnam summam invenies, summamque diurnam
 Cujuscumque loci, e medio qui tenditur usque
 965 Extremas ad mundi oras, discrimine nullo,
 Horarum æquali numero concludier ambas.
 Jam vero assiduo æstates cum lumine fingat,
 Amotaque pigras hiemes sol luce reducat,
 Principio ex illo Phœbi unde his crescere terris
 970 Diximus, inque vices aliis decrescere lumen,
 Hæc tempestatum dispersis ordine certo
 Per terras populis nasci discrimina constat.
 Hactenus at recto progressum tramite, ne te
 Longius inde malus quorundam distrahat error,
 975 Incerti nimium species queis vivida visus,
 Contra quam veri ratio sibi conscia monstrat,
 Incautis suasit nocturno tempore totum
 Aerium spatium, cælum quod tenditur inter
 Subiectam & terram, involvi lugentibus umbris.
 980 Scilicet hic piceus torrens, quem viscera terræ
 Effundunt sursum nigrantis tempore noctis,
 Inferna in gyrum quantumvis parte rotetur,
 Majori terræ sectæ cum congruat orbi,
 Certa apicem versus tenuatur lege supremum:
 985 Coni ex quo referens speciem, supera atque laceffens
 Cuspide, terrores ultra haudquaquam ille minasque
 Proccedit, cælo permittens luce fruisci.
 Expansum quare hoc spatium, quod clauditur imis
 Hinc terris, illinc convexi fornice olympi,
 990 Lumine respundet puro, dum tempora noctis
 Labuntur lento motu, nullisque tenebris.
 Inficitur, solam terræ si dempsêris umbram.
 Sic & luna potens cæli, errantesque planetæ,
 Expediunt magnos orbes dum nocte silenti,
 995 Albenti lucis pelago immensoque vagantur;
 Unde repercussos radios valido impete terram

Ver-

Versus, sublato quæ surgit in aera dorso,
 Volventes totam conspergunt luce reflexa.
 Denique quod recto populis celsa astra quibusdam,
 1000 Hisce parallelo, reliquis sed tramite surgant
 Obliquo, sphaeræ unde triplex hoc nomen adauctum:
 Singula quod puncta & punctis, quodque orbibus orbes
 Descripti terræ in facie cælestibus illis
 Conveniant, quorum signandis plurimus usus
 1005 Motibus astrorum, quæ per loca celsa perennes
 Ducunt circuitus, atque indefessa cientur:
 Quod zonis distincta suis, quod climate multo
 Secta parens certis concludat sinibus urbes,
 Ingens antiquæ per quod decor additus arti,
 1010 Quærenti ante alias prima hæc tibi causa recurret,
 Imis quæ terræ latitans inserta medullis,
 Conciliat rebus pondus, mundoque figuram.



ARGUMENTUM

LIBRI SECUNDI.

Proposito ab initio scopo hujus secundæ partis, quæ tota versatur in explicandis legibus, quibus corpora, tam fluida, quam solida, sive seorsim, sive inter se commissa, agere vi suæ gravitatis deprehenduntur, constituit a v. 6. tamquam dogma generalissimum, corpora ad centrum terræ deferri per lineam rectam, quæ secet horizontem ad angulos rectos, a quo tamen tramite, ut explicatur a v. 15. propter diversas incidentes causas nonnunquam deflectunt, cujus declinationis rationem exhibet a v. 26. Ad pleniorẽ vero tam dictorum, quam eorum, quæ sequuntur intellectum differit a v. 50. de centro gravitatis, ejusque a centro magnitudinis discrimine. Ex theoria vero centri gravitatis, & lineæ directionis, quæ ab illo descripta concipitur, deducit a v. 72. regulam ad dignoscendum, quando corpus aliquod stare super basim suam possit, ac contra quando a propria gravitate actum in præceps ferri debeat. Doctrina autem prædicta utitur a v. 92. ad explicandam turrium inclinatarum constantiam, libramen humani corporis, aut unico innitentis pede, aut per declivem locum motus suos exercentis: denique prodigialẽ illam ac mirabilem Funambulorum artẽ: & quia in ea ad librandas ex æquitate corporis partes multum momenti habet impulsus, docet a v. 149. non solum pondera inter se, verum etiam impulsum cum pondere ad æquilibratẽ reduci posse, quæ duo libraminis genera præcipua sunt fundamenta artis machinariæ. Initio igitur fa-

eto a comparatione ponderum inter se fuse explicat a v. 155. artificium, utilitatem, & fraudes etiam vulgaris libræ. Hinc ad stateram romanam facto gradu a v. 204. artificii, ac potestatis illius rationem subtiliter discutit: unde inita comparatione ponderis cum impulsu ostendit a v. 262. adhibito vecte prope infinitæ magnitudinis minimo, sed tamen diu continuato impulsu, fieri posse, ut loco dimoveatur moles omnium maxima, qualis esset hic noster orbis terræqueus. Deinde a v. 257. aggreditur explicationem legum, quas corpora fluida in descensu observant, ex quibus illud etiam oritur, ut labentes aquæ certo & invariato itinere ad loca inferiora propellantur: id quod latius persequitur, & illustrat a v. 315. eleganti fabula Alphæi, & Arethusæ. Exponit deinde a v. 379. quantam vim pressionis aquæ subsequentes in alias inferiores aquas exerceant, ex quo non solum evadit torrentium cursus incitator; verum etiam alii plures ac visu formidandi effectus non raro consequuntur, quos breviter describit v. 383. Causam vero perpetui illius ac sedati alternantium undarum motus, quem in mari experimur, nec non turbulentiorem procellarum explicat a v. 393. proposito ingenti, quod tunc temporis imminet nautis periculo. A v. 476. rationem expromit, cur fluctus maris tanto impetu in terram ruentes vix aliquantulum ultra arenosum littus progrediantur. Expositis jam legibus, quibus tum solida corpora, tum liquida invicem separata ad centrum trudentur, comparationem aliam instituit a v. 518. inter corpora solida ac fluida, cum data opera, aut casu committuntur, quam variis propositis hypothesebus deinceps illustrat. A v. 609. quæstionem excitat & solvit, cur aqua marina, quæ unicum tantulum auri, aut arenæ granum impositum sustinere nequeat, ingentem classici navigii molem, tam grandi metallorum, aliarumque rerum pondere gravati facile sustineat, quod tamen propter nimium onus turbato præsertim ma-

mari posse periclitari admonet a v. 613. unde a v. 650. opportunum dat nautis consilium proposito Tyriorum exemplo in quaestuosissimo illo ab Hispania ad Africam itinere. Tandem a v. 692. transit ad probandum aeri esse gravitatem. cum cæteris corporibus communem, qua supposita a v. 720. iisdem hunc legibus descensus, quibus reliqua corpora, obnoxium esse docet. Proinde a v. 735. originem aerearum tempestatum haud valde diversam ab origine maritimarum procellarum esse probat. Exponit ulterius a v. 805. modum, quo cætera corpora se librant in aere, & qua ratione tenuati ardore solis vapores sursum ascendant, atque in aliena regione consistant. Deinde a v. 825. ordinem tradit, quo iidem vapores iterum suo pondere præcipitati in terram labuntur, alii quidem citius, ut illi ex quibus aura ferotina conflatur, alii serius, uti sunt illi, ex quibus ros matutinus, pluvia, nives, & grando coalescunt. Denique a v. 912. exponit innumerabilia commoda, quæ ex vaporibus per sublimem aera dispersis, atque in illius immenso pelago natantibus generi humano proveniunt, inter quæ præter agrorum fecunditatem, & fluviorum ac fontium perennitatem, cælestis coloris venustas & splendor numeratur: qui sane absumptis, aut excussis illis vaporibus, uti a v. 949. manifesto probatur, statim ex oculis excederet, verso in profundum horrorem cælo propter nigrum colorem, quem cernentibus ab omni parte exhiberet. Atque hic ulterioribus inquisitionibus sine imposto concludit, mortales adhortans a v. 1008, ut exemplo rerum inanimatarum. centrum suum, qui Deus est, in quo summa consistit nostri generis felicitas, omni studio & mentis conatu exquirant.

LIBER SECUNDUS

N

- Unc age dura quibus, quibus ultro & corpora fluxa
 Legibus ad centrum descendant, quantaque nisu
 Opposito inter se commitant prælia, quantis
 Viribus insurgant, cedant seu victa ruinis
 5 Expediam, nostri quoniam hæc pars altera cantus.
 Principio corpus spissum quodcumque, figuræ
 Cujusquam, exigua, seu grandi mole tumescens,
 Ponderis ingenitis permissum viribus, alti
 Ad loca nigra erebi proprio sic impete fertur,
 10 Ut dextram lævamque pari discrimine vitans
 Servet iter tutum, signat quod linea recta,
 Quæ medium per horizontem clinamine nullo
 Traducta ad centrum, si producat, abibit.
 Sæpe tamen casus contra quam jura ferebant
 15 Observare licet, res est quippe obvia cunctis,
 Versus horizontem inclinato tramite corpus,
 Aut etiam incurvo terras descendere ad imas:
 Non id sponte sua patiens, nam corpora quævis
 Naturæ ex illa constanti & principe lege,
 20 Omnis qua recto, nisi quidquam extrinsecus obstet,
 Unde unde adveniens profertur tramite motus,
 Quam semel arripuere viam, quamque ille suasit
 Centri amor imperiumve externum intacta tueri
 Summa nituntur vi, usquam nec devia flexu
 25 Ambiguo fixa evadent confinia, causa
 Ni superante aliqua motu abripiantur iniquo.
 Nec

- Nec tamen illa fui, cursufve oblita prioris
 Adversis sese tradent sic obvia caufis,
 Ut quantum anteriore valent obfistere nifu,
 30 Non femper revocent trepidum in contraria grefsum.
 Hinc cum descendens spatium per inane, foporam
 Tranquilla aut fervans defes in fede quietem
 Nifibus oppositis tentarier improba moles
 Perfensit, cæco haud fe uni dabit impete caufæ
 35 Volvendam, alterius neglecto robore, fed qua.
 Ducit iter medium fic sese inflectet agetque
 Per fummos reftarum apices conamine multo,
 Ut curvum obliquumve fecet puro aere ductum.
 Nam quas obliquas, curvas quas dicimus, ortus
 40 Haud alios, fi quis scrutando harum intima lufret,
 Quam reftas specie minimas, numeroque carentes,
 Abrupti fingunt quas mille exordia curfus,
 Non tactu aut vifu faciles, dignofcet habere.
 Nunc ut corporeos certis concludere motus
 45 Legibus addifcas, & præfagire ruinas,
 Quod fequitur monitus rebus prius adiice dictis.
 Compactis quævis moles ducta ex elementis,
 Punctum habet, innatæ gravitatis dicere centrum.
 Quod poffis, fic nam trito fermone vocatur.
 50 Hac patulo geminas ferro quicumque fecando
 Diducat partes, eiuſdem ponderis ambas
 Inveniet, quamvis non femper mole tumefcant
 Æquali, molem hoc discrimen pondus & inter
 Cauſante ex vario concreta femine maſſa:
 55 Simplicibus nam fi conſtarent corpora tantum
 Principiis ſimili nexu ſimilique figura,
 Concordi ac totum per corpus lege modoque
 Informis ſefe miſceret viſ elementi,
 Tunc molis pariter centrum unum & ponderis eſſet.
 60 In centrum ergo illud quod dixi ponderis, omnem.
 Fin-

- Finge e diverso collectam vim gravitatis,
 Non aliter, quam si virtutis cætera pronò
 Nitendi deorsum lapsu foret indiga moles,
 Nec se alio ac centri nisu casuque moveret.
- 65 Hoc quæ præcedunt a tergo fortiter urget
 Partes, objecta dum illæ tardantur ab aura,
 Hoc trahit in præceps post se quæcumque sequuntur.
 Utque Gubernator, qui clavo affixus habenas
 Navigii moderatur, seu cum auriga citatos
- 70 Compescit fræno biuges, sic corporis istud
 Dirigit hac illac cursum, suspendit & urget.
 Libera propterea quoties via panditur illi
 Arcano puncto, hujus nec res impedit ulla
 Supposito cursum dorso, dum forte per auras
- 75 Demissum celeri terræ petit ima volatu,
 Aut pigrum acclivi adreptans sese aggere versat,
 Tota simul motum illius ductumque sequuta
 Æquali moles in præceps vi excita agetur.
 Quod si aliquod fulcrum suppositum partibus imis
- 80 Corporis, ex hujus centro quæ ducitur usque
 Ad terræ centrum, rectam interceperit, inde
 Impenetratum nullos ut decurrere motus,
 Nec dum etiam ordiri possit, summo aere fixum
 Hærebit, libras ingens vel si una ducentas,
- 85 Aut multo plures quæ pendet, sphæra supremo
 Cuspis in puncto per punctum juncta quiescat.
 Servatæ huic legi, longus quam prodidit usus,
 Ortus plura suos debent miracula rerum,
 Qualia collectæ fuerunt proponere turbæ
- 90 Ære dato, queis nec promptæ facundia linguæ
 Nec motus dextræ, aut artis prudentia defunt.
 Hac licuit pariter servata educere turrim
 Excelsam, terræ in partem quæ pronior unam
 Propendens, cum multis a fundamine vertex

- 95 Abludat pedibus, jam jam lapsura, cadentique
Imminet adsimilis, quali se Felsina jactat,
Felsina clara viris, Alpheæ & origine Pisæ,
Artificis decus egregium, & ludibria celsa.
Nec si adeo attonitus visu pallensque periclo
- 100 Advena, quem vulgus puerorum & cætera turba
Audaci exceptit risu effusisque cachinis,
Comprimat incertus gressum, timeatque ruinam,
Haud tamen in præceps urgenti pondere adacta
Volvetur, dum hæc a centro quæ linea currit
- 105 Ponderis in basim directo calle feratur,
Multorum, & casus hominum, & visura domorum.
Hanc etiam ob causam binis quodcumque animantū
Ingreditur pedibus genus, utcumque altero in altum
Sublato partem corpus deflectat in illam,
- 110 Suppositum quam crus operit, stabit pede in uno,
Per plantam donec quæ linea ponderis exit
A centro partes terræ ducetur ad imas:
Seu servet sedem immotam, seu præpete cursu,
Ut pueri, longos aveat pervadere tractus.
- 115 Inde via fessi cum nos incedimus ægra,
Seu collem ascensu abruptum superamus anhelos,
Conversive gradum torquemus ad ima citatum,
Huc illuc agiles pellentes brachia, truncum,
Aut caput, accedat parti quo pondus egentis,
- 120 Decedatque iterum parti, prout exiget usus,
Occultæ, tales motus quæ dirigit, artis
Ignari molem a casu defendimus omnes.
Nonne vides illum per tensum incedere funem
Securum, circum pavido quem plurima turba
- 125 Prosequitur matrum plausu, & miratur euntem,
Seu libet aereas sursum exercere choreas,
Seu rapido longum gressu decurrere restim,
Ingentem aut cum dat saltum inflexusque rotatur:
Non

- Non illum motuque pedum cursumque Camillæ
 130 Vicissent artes, quamvis testante Poeta,
 „ Illa vel intactæ segetis per summa volaret
 „ Gramina, nec teneras cursu læsisset aristas,
 „ Vel mare per medium fluctu suspensa tumentis
 „ Ferret iter; celeres nec tingeret æquore plantas.
 135 Sed cave, ne magicis, quos fingit in aere ludos
 Fraudibus attribuas; procul hinc ars squalida averni
 Circeæque absunt herbæ; at vis ponderis illa,
 Quam velut in centro collectam inspeximus ante,
 140 Æquo dum regitur motu, atque insistere fulcro
 Cogitur, impulsu in partem veniente laboris,
 Proiectum liquido sustentat in aere corpus.
 Ausum quandoquidem gravitatis vividus urget
 Impetus, ut sese parti uni adjungit, & idem
 145 Opposita frangit quoties de parte resistit.
 Hinc lapides, ferrum, chalybem, plumbique metallum,
 Alituumque genus pictum pernicibus alis,
 Impete concepto, contra ac natura requirit
 Corporis, in ventos terra procul ire videmus.
 Unde & ponderibus componere pondera longo
 150 Humana haud solum studio prudentia novit,
 Ipsum verum etiam generoso cum impete pondus;
 Utilium longe mens ex quo provida rerum
 Tam varias mundo, sæclis labentibus, artes
 Naturæ e fundo plures extudit in usus.
 155 Justitiæ ac primum placita ut fundata manerent,
 Sævis extinctisque odiis pax tuta vigeret,
 Ponderibus rerum, pretiis justisque notandis
 Æquato pendens examine libra reperta est.
 Illa quidem geminis hinc atque hinc lancibus aucta,
 160 Suspensas triplici quas stupea cordula nexu
 Transversa tenet e virga, discrimina cuncta
 Legē dabit certa, superat queis pondera pondus.

Diver-

- Diverſo quippe injectis quæ pondere conſtent
 Corporibus, quodcumque horum majore gravescit
 165 Niſu, præcipiti fertur loca ad infima caſu:
 Oppoſita dum virgæ aliud quod parte pependit,
 Non aliter propria quam ſi gravitate careret,
 Ad ſuperas cæli vi magna attollitur auras.
 Equâli quod ſi duo corpora prædita mole
 170 Adverſis fuerint patinis impoſta bilancis,
 Tunc vero exæquata premant quod pondera libram,
 Alta quies ſequitur, geminoque ſtupente lacerto,
 Plus iſta nec parte ſedet, nec ſurgit ab illa,
 Innata non quod vi caſſum corpus utrumque
 175 Terrarum imas in partes propendere omittat:
 Sed quia, dum paribus decertant viribus, anceps
 Longum pugna manet, neutri & victoria cedit.
 Sed vide, pervigilem ne te malus inſitor olim
 Mendaci inſtructus trutina, quam criminis hujus
 180 Immunem ſpecies cernenti externa probabit,
 Deciſiat teſta fraude emunctumque remittat.
 Namque illi alterutro fuerit ſi forte lacerto
 Curta bilanx, gravior dependeat unde catinus,
 Externo vacuæ perſtent dum pondere lances
 185 Equis a terra ſpatiis tollentur in altum,
 Ductilis in vacuo ſuſpenſo & lingula motu
 Hærebit; quiſnam hic ullam jam credere fraudem
 Quiſve dolos poſſit, quæ aut ſint commercia tuta?
 Et tamen hic ficto fraus eſt obducta colore.
 190 Demiſſum quoniam pondus brevior lacerto,
 Amittit propriæ tantam partem gravitatis,
 Parte iſtud quanta ſuperabit longior ulna:
 Tantundem aſt oneris merci, atque accedet honoris.
 Hinc te ſiqua obſcuræ pulſet opinio fraudis,
 195 Ponderis & merci variatis forte lociſque,
 Alterum in alterius ſit curæ immittere lancem,

G

Ut

- Ut qua parte prius merces, nunc pondus, & illa,
 Qua prius infedit pondus, merx parte locetur;
 Tunc vero manifesta fides, nigræque pateſcent
 200 Inſidiæ, ad loca momento nam ſubdita pondus
 Percepta gravitate ruet, merx alta tenebit.
 His tibi jam notis legem comprehendere pronum eſt,
 Quodvis qua pondus metiri pondere quovis
 Poſſimus, multis quantumvis millibus illud
 205 Hoc ſuperet, fuerit nobis modo plurima cura,
 Majori minus ut quoties in pondere pondus,
 Illa brevis toties longa includatur in ulna.
 Sic ea quam norunt omnes romana ſtatera
 Haud magnæ molis globulo, qui mobilis omnes
 210 Curſu adeat facili numerorum ex ordine ſedes,
 Ingenti impoſitum quantum ingens Pelion Oſſæ
 Pendeat æquato monſtrabit pondere utroque.
 Nec tamen ut cunctis monſtri huius pervius uſus,
 Sic facile arcanas cuiſvis evolvere cauſas.
 215 Nam qua iſtud virtus præſtat ſecreta, duobus
 Acriter inter ſe ut commiſſis Marte furenti
 Corporibus centri propter, ceu conjugis almæ,
 Quæſitos toties amplexus, robore quod ſit
 Inferius rivali obſtacula tanta morarum
 220 Obiiciat, pronum puncto ut compeſcere curſum,
 Aut etiam abruptum in contraria flexere poſſit?
 Diſce modum, res eſt quoniam digniſſima ſcitu,
 Pluribus & quæ explanandis inſerviat una
 Naturæ monſtris; pigeat ne advertere mentem
 225 Dicendis, mentem vigilem nam talia poſcunt.
 Eſt juſtæ punctum prælongo in veſte ſtateræ
 Immotum, volvendi ex quo primordia motus
 Ducuntur, gemina hinc ingens in brachia libra
 Tenditur, huic illa acri morſu juxta apicem unum
 230 Innixa, alternatiſ dum per inane cientur

- Motibus, opposito flexos signant apice arcus:
 Quorum maiori qui designatur ab ulna
 Tanto alio est maior (sunt nam sicut radii arcus)
 Quanto ulnam superat brevior longior ulna.
- 235 Hinc puncto quoniam nectuntur brachia in uno,
 Et commune ambo centrum, ut jam vidimus ante,
 Vibrati illius motus noscuntur habere,
 Sic proprios junctim coguntur volvere motus,
 Principium ut sit idem ambobus, tum finis eundi:
- 240 Ex quo illud sequitur, simul uno tempore ab illis
 Dissimiles vacuo spatio percurrer arcus,
 Pro varia istorum nec non ratione modoque
 Paucos aut plures uno edi tempore motus.
 At nullum certo motum fieri sine nisi
- 245 Cum nobis ratio, tum ipsa experientia monstrat:
 Quare illud pondus, quod summo e margine pendet
 Illius, decies aliam quæ continet, ulnæ,
 Unum quo motum oppositum dat tempore pondus,
 Bis quinos profert descensu præpete motus,
- 250 Et cum illis totidem nisus, quos obiicere hosti
 Conjunctim, adversum & valeat restringere nisum.
 Quod gravitas, hoc olim admota potentia vivax
 Prælongo vestis capulo præstabit, & ipsa
 Non minus ac pondus semper nova robora sumet:
- 255 Montanum unde levi visus puer impete saxum,
 Vix homines quantum bis sex cervice subirent,
 Transverso vincti innitens attollere in altum.
 Ille novas vires ignotum & roboris augmen
 Miratur simul attonitus, metuitque ruinam,
- 260 Inscius adjuto quantum sibi crescere ab arte
 Exiguum posset certo sine limite robur.
 Unde Syracosius quondam prædixerat auctor
 Antiqua simili impulsu de sede moveri
 Posse gravem molem terrarum, si modo punctum

- 265 Immotum extra huius detur confinia mundi,
 Quique infinito ducatur caudice vestis.
 Dicite nunc musæ, vobis nam cuncta sorores
 Naiades monstrarunt, quas fluvialibus undis
 Ipse pater iussit præsentés numine adeste,
- 270 Occultis quæ causâ modis, quæ provida aquarum
 Mens regat instabiles motus, quis calle profundo
 Conclusas per saltus, perque abrupta viarum
 Longinquum cogat vi tanta inquirere pontum:
 Quisque iter ambiguum evolvat, nam tramite certo
- 275 Incedunt, nunquam retro & vestigia flectunt.
 Respice ut umbroso clivosi e vertice montis
 Unda cadens sicco primum diducitur alveo,
 Fonticulus paucis notus pastoribus, inde
 Collectis pluviis distentus plurimus amnis
- 280 Volvitur, & pelago late premit arva sonanti:
 Illi se plures optarunt jungere rivi,
 Et certum ut regi pendent vestigal aquarum.
 Post omnes junctis opibus, sub tempore verno,
 Excurrunt faciles, donec se pondere magno
- 285 Limosis condant pelagi stagnantis in undis.
 Cæcus amor cæci vicit centri, ille viarum
 Obscuros pandit flexus, ille ille minutis
 Tam vigiles sensus potis est infundere guttis.
 Namque ubi prorumpens nativo e carcere rivus
- 290 Vitales auras carpit, cæloque potitur,
 Non aliter quam si vitæ lucisque pigeret,
 Tristia secretæ quærit solatia terræ,
 Oscula ubi fessum expectant centricque cubile.
 Ille æstu impatiens stimulisque agitated acerbis
- 295 Rimatur cunctos aditus, tum murmure grato
 Suspirat notos ignes, suspirat amorem.
 Ergo illam ad terræ centrum, quæ proxima ducit,
 Forte viam vario e textu implexoque viarum

- Distinguens certo ingreditur, sequiturque nec errat.
 300 Quod si nulla sibi salebrosa obstacula recurrant,
 Tunc placidus late cursus, nec flectitur usquam.
 Transversa obstruitur sed quando semita mole,
 Inceptumve vetat cursum celso aggere tellus,
 Ille velut dubiam versat qui pectore mentem
 305 Hæret paulisper fixus, tum colligit iram
 Cornibus obsistens, vallum si rumpere possit,
 Objectamque gravi molem prosternere casu.
 Ast ubi jam magnis optatum imponere finem
 Exorsis (neque enim resident quæ in corpore vires
 310 Infirmo exæquant animi sublimia vota)
 Haud sibi concessum docuit geminata repulsa :
 Tum vero, victus campo ut qui cedit iniquo,
 Post longum duri belli incertique periculum,
 Exuvias hosti victori atque arma relinquens,
 315 Hoc sibi, quod manet, auxilium suadente pudore,
 Cogitur obliquo in centrum descendere calle.
 Quondam etiam, patulum tellus qua pandit hiatus,
 Labitur arentique citus subducitur agro.
 Nec vero Alpheum, quem dicunt, Elidis amnem
 320 Occultas egisse vias subter mare, Nymphæ
 Traxit amor, de illo quamvis tam multa poetæ
 Fingant, nacta ingens per quos est fabula nomen.
 Ille Arethusam cum quondam Triviæ in comitatu
 Vidisset nemorum venator, pectore vulnus
 325 Lethale excepit, studio nec jam ille ferarum
 Ducitur, aut timidas sibi curæ est figere damas.
 Tantum Arethusæ vultus, insignemque decorem
 Nymphæ, atque inconcessos volvit mente hymenæos.
 Sensit virgo dolos, sylvæ metuensque recessum,
 330 Tristes deposuit curas in corde Dianæ.
 Affer opem Diana tuæ, deprendimur, inquit,
 Armigeræ, appensos humero cui sæpe dedisti

Fer-

- Ferre tuos arcus, inclusaque tela pharetra.
 Mota Dea est, densaque obductam nube Arethusam
 335 Eripit Alpei ex oculis, pro munere magno
 Præcipiens unum liquidis e fontibus esse.
 Delia rupit humum, cæcisque hæc merfa cavernis
 Ortygiam advehitur, quæ te cognomine Divæ
 Grata tuæ, superas eduxit prima sub auras.
 340 Omnia sed frustra, siquidem cognoscit amatas
 Amnis aquas, mutatus jam venator in amnem.
 Quo properas Arethusa suis Alpheus ab undis
 Quo properas iterum clamat vesanus amore?
 Hæc dicens magnis fugientem gressibus acer
 345 Insequitur, lento virgo qua defluit amne:
 Hinc mediam subter terram pelagusque profundum
 Virgineo fonti toto se flumine miscens,
 Ore Arethusa tuo siculis confunditur undis.
 Garrula sic quondam naturæ arcana vetustas
 350 Rebus velavit fictis, dissisa latentes
 Quavis posse via in lucem producere causas.
 Multorum at postquam subtili victa labore
 Occultos referare sinus natura coacta est,
 Hæc sese jam nuda oculis miracula pandunt.
 355 Nec tu Arethusa ultra Alpeo dilecta, nec ista
 Per loca tecta sui congressum vitat amantis.
 Sed quia uterque latens magno conamine centrum,
 Corporibus cunctis quod sit commune, requirunt,
 Commodior sese nec quæ via ducat ad illud
 360 Ostendit, patulæ oblato telluris hiatu,
 Præcipitant paribus studis similique ruina.
 Quod vero argentem decurso tramite subter
 Terram vicini jam centro rursus ad auras
 Æthereas ambo commixti flumine surgant,
 365 Non amor in causa est, lucis non dira cupido,
 Verum his ex lymphis, quæ altum subiere canalem,
 Quæ-

- Quæcumque ad fundum primæ venere viai,
 Unde omnem in partem progressum ascensus iniquus
 Denegat, haud illic tuto consistere possunt,
 370 Immenfis quoniam a tergo impellentibus undis
 Urgentur. Quodnam rerum discrimine tanto
 Præsidium superest? requies optata negatur,
 Sed revocare gradum, & sedes sarcire relictas
 Impediunt gravitasque, sequens & gurges aquarum.
 375 Ergo imo e fundo, quamvis non usque volentes
 Avulsæ instantis vi magna desuper hostis,
 Obvia qua tremulam admittunt spiracula lucem,
 Elato lymphæ cursu loca ad ardua tendunt.

- Nec minus incumbens retro grave pondus aquarum
 380 Aclivi præsertim dum illæ colle feruntur,
 Lenibus adiunxit lymphis rabiemque furoremque:
 Unde & montano decurrens flumine torrens
 Præcipites secum fylvas, & grandia saxa
 Abducens, mæstis implet sata læta ruinis.

- 385 Et quodam impositum tumida indignatus Araxes
 Cervice excussit pontem, frustra omnia frustra
 Tentabis, rapidum valeas quo sistere cursum.
 Non vis ulla hominum, non ulla obiectaque saxa
 Sedando poterunt tanto satis esse furori,
 390 Exsuperat summas oras, aut impete facto
 Subvertet celsas moles, & claustra resolvit.

- Nunc pelagi alternos motus, fluctusque sonantes,
 Tum cælo hiberno tristes quæ causâ procellas
 Excitet, unde & aquis tantæ stagnantibus iræ
 395 Proveniant, aptus poscit jam dicier ordo.
 Ille maris primum motus tranquillior undas
 Perpetuo ad littus fluxu volventis amatum
 Inde suos, fallunt ni me omnia, fuscipit ortus,
 Quod propriis superæ detrusæ e sedibus undæ
 400 Dum spatium tutum quærunt ubi sistere detur,
 Sub-

- Subiectas simili impulsu de sede repellunt,
 Pellendis queis nec pondus, nec robor a desunt:
 Omnibus unde locis expulsa infirmior unda
 Cogitur in sicca corpus deponere terra.
- 405 Causa mali tanti centri haud expleta libido est,
 Namque ut pulsa loco merito jam lympha recessit,
 Haud equidem alterius supra se attollere dorfum
 Optabit, tergum hæc quamvis submittat amice;
 Sed quo illam antiqua possit depellere sede,
- 410 Sicque locum centro propiorem invadere, cunctas
 Externo impendet conceptas robore vires.
 Hinc sive incumbens pelago circumfluit aer
 Vexet inæquali subiectas pondere lymphas,
 Littoreasve undas labentia flumina turbent,
- 415 Rarior æstivis quondam seu solibus humor
 Effectus spatio majori extendier optet,
 Horum quidquid erit, valide pulsare silentem
 Quod valeat lympham, secum alternantibus undis
 Diffundet coeptum ventosa per æquora motum.
- 420 Necve alias, cælo obscuro dum tristis Orion
 Desevit, causas immitibus esse procellis
 Crediderim, ponti nisi quod vehementior aura
 Undas percellit, majori aut flumina nisu
 Irrumpunt, mage discordant aut pondere lymphæ.
- 425 Forte etiam cæci e latebris immanibus antri
 Aspirans subitus vapor, aut vulcanius ille,
 Imis qui fervet terræ in fornacibus æstus,
 Concretam attenuans summis ardoribus undam,
 Horrisonis totum turbavit fluctibus æquor.
- 430 Namque vapore udo, acri seu distenta calore
 Unda sub æquali fervet cum mole minorem
 Vim pronæ gravitatis, sese attollit in altum
 Paulatim gravioribus illam urgentibus undis.
 Ut superas ergo jam victa evasit ad auras

- 435 Aeris externo concrefcens frigore, & inde
 Majori in mole æquali gravitate recepta,
 Amiffam ut reparet fedem vititur omni,
 Inque vices hæc nunc fuperat, nunc vincitur ipfa
 Succellu vario, fpumis exuberat æquor
 440 Infano crefcente æflu, nec fe capit unda
 Littoribus; magno veluti cum flamma fonore
 Virgea fubiicitur coftis undantis aheni,
 Exultantque intus latices vim addente calore,
 Excitus atque alte vapor avolat ater ad auras.
 445 Non illa quavis pofita mercede per altum
 Me quisquam infanus moneat procedere nocte
 Haufis tot pelagi expertum undarumque periclis,
 Irati hujus fit quanta inclementia monftri.
 At o vos o nautæ, propriæ fi cura falutis
 450 Ulla fubeft animo vefiro, nec vivere tædet,
 Instantis cum jam cernuntur figna procellæ,
 Vela vocent grato quantumvis murmure venti,
 Navigium portus intra cohibete quietos:
 Nec lucris quemquam capiat tam fæva cupido,
 455 Ut velit irato navem committere ponto.
 Quin potius fragili cum te ligno alta ruentem
 Æquora dependent venientis clara tumultus
 Indicia, obvertens proram quæ proxima curfu
 Littora corripas, portusque inquire propinquos;
 460 Nri facias, valide inter fe luctantibus undis
 Ludibrium fiet navis lectiffima ponti,
 Aut etiam rapido circumdata vortice nautas
 Exponet mutis labentes pifcibus escam.
 Tu vero e terra alterius quicumque periculum
 465 Spectabis fævis turbantibus æquora ventis
 Ne mare venturum excidio fuper ardua mundi,
 Neu tanto timeas involvi turbine rerum
 Uno difjunctus ftadio fi a littore diftes,

- Aut etiam, tumidis quamvis vicinior undis,
 470 Ascensu celsæ teneas capita aspera rupis.
 Namque hic qui terras cumulo absorbere videtur
 Velle omnes ingens falsæ præruptus aquæ mons,
 Ut gracilem primum molli pede stringet arenam,
 Obsequio insolito ponet pravum inde tumorem.
 475 Non quod vis aliqua attritis superaddita arenis
 Undæ incumbentis valeat compescere motum,
 Ceu magus incertam cohibens medio aere lympham,
 Neu quod legem aliquam contra communia iussa
 Naturæ fluctus veriti, sententia multis
 480 Quæ quondam arrisit, medio in conamine cursum
 Abrumpant, ex quo submissi exempla petentes
 Obsequii cuncti mortales, regula constans
 Quæis vitæ ratio est, divina & nota voluntas,
 Numinis ad votum discant componere motus
 485 Elatæ mentis, prompte & submittere fasces.
 Dissimilis neque enim sibi, seu contrarius auctor
 Naturæ, validis certa ratione movendis
 Corporibus leges pugnantes condidit olim,
 Consilio aut multo inventas per tempora latis
 490 Præceptis, ut mos hominum, correxit & auxit.
 Quare aliam summo præscriptam a Numine legem
 Ne facilis credas, tumidam quæ comprimat undam,
 Quin vetitos ultra fines effusa vegetur,
 Hanc præter centri legem, quam conditor orbis
 495 Corporibus gravibus statuit, iussitque per ævum
 Longinquum inviolatam incorruptamque manere.
 Hæc, terris vastum quoniam substernitur æquor
 Elatis, simul atque extremas attigit oras
 Unda mari veniens magno glomeramine ab alto,
 500 Ascensu inconsultam arcet prohibetque negato.
 Nec tamen, effusis si quando audacior æstus
 Camporum excurrens spatiiis aspergine summas

- Inficiat cautes, legis violator habendus;
 Quin potius legem observans, ex lege movetur.
 505 Scilicet in cumulum ventis dum pronior unda
 Attollens sese subjectæ advolvitur oræ
 Pondere victa suo, seu pleno e vase liquores,
 Effluit, & late æquatis effunditur arvis:
 Concepto obiectas aut si forte impete cautes
 510 Invasit, fursum torquetur lege repulsus.
 Non tamen idcirco celsi fastigia montis
 Attinget, longe positas aut hauriet urbes.
 Progressam sedenim paulisper deserit illam
 Impetus, hinc nota gravitate relabitur unda.
 515 Hactenus & solidi, liquefacti & corporis acrem
 Vidimus urgentes casum pulchro ordine vires.
 Nunc liquidis placitum committere corpora dura;
 Admissis quoniam gremio liquentia duris
 Incerto ac vario semper discrimine belli
 520 Aspera pro dulci subeunt certamina centro,
 Inque vices jam his, jamque illis victoria cedit
 Gravior, æquatis suspensa aut viribus hærent.
 Nam quoties durum corpus coeuntibus arte
 Partibus inter se æquali sub cortice molis
 525 Pondus habet majus, sunt plurima qualia vulgo,
 Præcipiti deorsum lapsu petit intima fundi.
 Non tamen hoc liquidis dum convolvetur in undis
 Tam celeri ad centrum poterit descendere cursu,
 Illud non leviter medio tardante liquore,
 530 Quam celeri illuc posset per purum aera ferri.
 Namque ut nos multis docet experientia signis
 Immersum liquido corpus tantum gravitatis
 Amittit propriæ, gravitas est quanta liquoris.
 Ut liquidos vero calles stagnantis aqua
 535 Concita percurrunt descensu corpora pigro:
 Sic eadem parvo admoto conamine furtim

- Evadent, humeros oneri subdente liquore,
 Hinc longa sursum quoties suspensa catena
 Extrahitur puteo humoris plena amphora ab alto,
 540 Principio dextræ ductum haud invita trahentis
 Subsequitur, rumpitque moras, nec mole gravatur
 Ingenti; postquam vero jam gurgite summo
 Educens caput interjecto ex aere pendet,
 Ceu bellator equus, quem loris ilia vinctum
 345 Propellunt pandæ ratis ad præsepia nautæ,
 Sensit ubi retro tabulatum avertier altum
 Connixus vi omni subiectas calcibus auras
 Verberat; haud secus hæc maiori obsistere nisu
 Incipit, insolito unde & pondere dextra gravatur,
 550 Et pronum corpus partes curvatur in imas.
 Sin vero sub mole æquali pondus utrique
 Par fuerit, quod vix sperandum rarior usus
 Demonstrat, solidum ut liquido consentiat apte,
 Fortunis sociali amborum fœdere iunctis,
 355 Firma semel lata stabit concordia lege:
 Et solidum liquidi quacumque in parte locatum,
 Demersum vel si medio pendere liquore
 Jufferis, affusæ nullum quin sentiat undæ
 Luctamen, placide immotum consistere cernes.
 360 Denique cum solidum æquali sub mole minorem
 Vim cohibet gravitatis, uti ligna omnia sylvæ
 Humentis observantur habere imposta liquori,
 Tunc licet ad fundum, dum labitur impete magno,
 Volvatur, valide interea obsistentibus undis,
 365 Non tamen hic requiem optatam finemque videbit
 Frustra suscepti contra omnia jura laboris;
 Quin meritas reddet pœnas, quod regna quieta
 Latronum more accessu turbarit agresti,
 Scilicet ad summas vi magna urgentibus undis
 370 Irrisum sine honore lacus mandabitur oras,

Aut

- Aut turpi infixum limo putrescet in alga
 Vermiculis gratas epulas latebrasque daturum.
 Sic quondam, reliquis truculenta sorte futurum
 Exemplo, quamvis descendens ab Jove summo
 575 Regali fastu, regali & nomine lignum,
 Ausum quod fuerit lymphas turbare palustres
 Externum adfectans sub aquis attollere regnum,
 Fœda dedit querulis de se ludibria ranis.
 Pacificum lenes quod si descendat in undas
 580 Eductum e sylvis lignum, corpusve minore,
 Aut etiam tanta, quanta id, constans gravitate,
 Hac sibi lege data, justum ne turbet aquarum,
 Libramen, constat sua per quod gloria regno,
 Ante aditum clausi imperii residebit ut hospes.
 585 Ponderibus siquidem librandis condita lex est,
 Consilio maturo quam pater ipse probavit
 Omnipotens, cunctis & sanctam jussit haberi
 Hospitibus, quorum æquatæ cum flumine massæ
 Nequaquam liquidæ superant grave pondus aquai:
 590 Ut tantam molis partem immittat suæ in undam
 Exceptum lymphis corpus, quantum integra moles
 Ponderis illius partem in se continet, æquo
 Par quod aquæ moles tentata examine reddet.
 Aspice nunc illud, disjuncta quod India mittit
 595 Navigium, per aquas qua maiestate moverur,
 Quanto velorum cultu, quam nobile lecto
 Remigio, argenti quam multa merce superbum,
 Unam e Cycladibus credas innare revulsam,
 Tanta mole ruens ponti vada cærule scindit.
 600 Prodigio simile id vero quod mobilis unda,
 Uncia cui flavi gravior foret una metalli,
 Quam vires possint ejus perferre, resumptis
 Nunc animis, nitidi argenti tot pondera & auri,
 Pygmalion quot non olim celarat avarus,

- 605 Vim ferri tantam plumbique, & ductilis æris
 Densa cum trabium sylva, populoque frequenti
 Sustineat lento dorso, nec mole gravetur.
 Ex dictis verum hæc claréscent omnia, quippe
 Navigii cum moles inferior sit aquai
- 610 Æquali moli constrictæ pondere massæ,
 Maxime id efoffa laterum præstante figura:
 Legibus ex illis per quas libramen aquarum
 Nasci, atque exortum firmari diximus ante,
 Alta ratis, placido vento cum tuta quiescunt
- 615 Æquora, parte sui media supereminet undas.
 At majora uteri clauistro cum picta carina
 Pondera gestabit, subjectum aut hauriet imbrem:
 Tunc male depressa gradietur segnior alvo,
 Majoremque sui partem demersa sub undis
- 620 Vix tensum lata attollet super æquora dorsum.
 Unde etiam puppim nautis ducentibus altam
 Attulit infandum exitium mercator avarus,
 Oblati quem dira fames incautaque luci
 Immensis opibus gravidum cumulare coegit
- 625 Navigium, frustra ratis obsistente Magistro:
 Heu quantus portu egressos crescentibus auris
 Vectores sudor, quantum ingratiq[ue] laboris
 Expectat! nimio cum pondere fessa carina
 Ventorumque huc illuc raptim insultibus acta,
- 630 Incerto errabit motu, velut ebria, nusquam
 Consistens, nusquam trepida & vestigia firmans.
 Interea amisso puppis libramine, totum
 Dansque latus pelago venientes excipit undas,
 Nec vis ulla hominum, emissis non anthlia rivis
- 635 Sufficit infusam e medio depellere lympham.
 Quare agite o cives vestræ succurrite vitæ,
 Nil vita vobis debet nam charius esse,
 Quod superest pulchris ejetis mercibus alte

- Funestum minitantem casum attollite navem.
 640 Cessatis quid adhuc misero torpore? quid inquam
 Segnes cessatis? lento non indiget istud
 Consilio tempus, fatalis nam mora multis
 Sæpe fuit, promptos animos res ista manusque
 Postulat: Ecce altam navim cunctantibus illis
 645 Vicit hiems, pigris nil profunt vota precesque;
 Servati at magno argenti cum pondere & auri
 Ignoti infletique imis merguntur in undis.
 Id veritus classique suæ, sociumque salutis (a)
 Prospiciens olim Tyrionum Ductor opimus
 650 Ultima ab occidua Hesperia cum solveret ora.
 Collectam quamvis argenti in littore haberet
 Vim tantam, portandæ cui nec maxima classis
 Sufficeret, rivis fluido currente metallo,
 Non tamen imposito nimium puppim ille gravari
 655 Pondere permisit, facies tutissima quamvis
 Tunc foret oceani, toties nam fraude latenti
 Deceptus pelagus timuit cælumque serenum,
 Et tamen ille oneris levioris tristia damna
 Consiliis usus sociorum hac arte redemit:
 660 Armorum quidquid gravidæ intra septa carinæ
 Invenit, duros contos clavosque trabales,
 Tum dapibus cultus varii instrumenta coquendis
 E puro argento accensa fornace refecit:
 Ipsa argentato puppis temone superbit,
 665 Anchora de prora nec non argentea pendet.
 Sis felix valde o navis, tibi prospera cuncta
 Tendenti in patriam redditumque ante omnia promptum,
 Præ-

(a) Ex antiquissima historia fide proditum est, Tyrios ab Hispania littore sol-
 ventes haud sufficientibus navibus maximo portando argento, quod illis one-
 randis collegerant, ferreis anchoris dimissis, alias ex puro argento fabricatas
 substituisse, id quod auctor convenientiam sequutus ad alia minora extendit.

- Præmia quæ nobis vitæ tam multa tulisti,
 Optamus, populus certatim clamat Iberus
 670 Ablati ignorans usum pretiumque metalli.
 Tempus erit magno cum gens Tartesia sumptu
 Exhaustis patriæ Pœnorum fraude thesauris,
 Longinqua natum argentum in regione superbæ
 Imponens classi patrias inducet in oras.
 675 Ne vero, ne tunc lucri excæcantis amore
 Averti sic corda sinatis, maxima quamvis
 Argenti pretiosi invitet copia, ut altam
 Plus æquo jucundo onerantes pondere navem,
 Interitus certo exponatis cuncta periclo:
 680 Antiqua at potius Tyrionum exempla sequuti
 Parcite jam fessæ navi, jam parcite merci.
 Hæc olim: maneat seros ea cura nepotes,
 Nunc quibus instabiles librentur legibus auræ,
 Queis initis secum pactis socialia jungant
 685 Fœdera, mox cæco conversæ in bella, furore
 Præcipiti involvant terras, pelagusque ruina;
 Quo jure hospitii utantur, cum terrea sursum
 Corpora se attollunt, breviter dicenda supersunt.
 Ac primum hic vacuo cælo qui expanditur aer,
 690 Quod proprio, quamvis ignoto, corpore constet,
 Communi cum aliis centri pulsatur amore
 Unde leves falso distæ sua pondera norunt
 Auræ, nativa deorsum & gravitate feruntur,
 Aeris hinc secreta vi incumbentis in altum
 695 Per longum e puteo stagnans salit unda canalem.
 Vivum quin etiam argentum gravitate metalla
 Cum superet, liquidam simulans sed cætera lympham,
 Inclusum tubulo producto, quique superne
 Omnem aditum vento neget, ast inferne recurvus
 700 Labentem excipiat flatum patulo oris hiatu:
 Sentiet immissæ grave pondus protinus auræ,

- Unde viam infitens, fursum quæ tendit & omni
 Aere jam purgata fuit, loca summa tenebit.
 Præterea globus e vitro tenuive metallo
- 705 Confectus, crassæ vacuus sed funditus auræ
 Avolat e manibus nullo impellente, nec ante
 Consistet, quam alti offendat laquearia tecti.
 Ast idem liquido inflatus globus aere ad imas
 Descendens partes terrę inferiora capefcit.
- 710 Namque ubi subtracto levior jam reddita flatu
 Bullula, mole gravi circumfusi incita venti,
 Conditur hostilem fugiens sub nubibus ictum.
 At plena internæ virtutis conscia, nullas
 Subiecti ac vires hostis, seu prælia vitans,
- 715 Particulam diffusæ auræ quamcumque, cadenti
 Quæ forte obsistat, supera ad loca cogit abire.
 Hoc posito, unde agilis pondus convincitur auræ,
 Librari alterius cujusvis corporis instar
 Hanc liquet, & simili nisu sua jura tueri.
- 720 Hinc crassis terræ permixta vaporibus illa
 Subsicens imis cæli in regionibus hæret,
 Altera dum fæces levior quæ funditus omnes
 Deposuit, celsi superat fastigia olympi:
 Illic summa quies, ullis nec flatibus unquam
- 725 Turbatur, filet æternumque immobilis æther:
 Æqualem has inter purgatæ ex parte tenorem
 Quæ servant, cæli media in regione morantur.
 Atque ita compositis rebus pax alta maneret,
 Ni quondam inflatis animis nova bella cierent;
- 730 Nam quoties reliquis densatis partibus, auræ
 Rarefcunt aliæ, amisso libramine discors
 Cum sonitu exoritur motus, tristesque ruinæ.
 Quod si illam, visus hebetat quæ obducta tuentum
 Mortales, circum offusa caligine nigra,
- 735 Disjiceret nubem naturæ maximus auctor,

- Sicque oculis species fieret venti obvia nostris :
 Non alia immensi facies se offerret olympi
 Opposito secum ventis certantibus actu,
 Quam pelagi irati nobis se sistit imago ;
 740 Tam diro certant inter se robore , tantos
 Undarum cumulos cæli super ardua tollunt .
 Nec quæcumque tamen variis mutatio ventis
 Accidat , hos poterit tantos incendere motus .
 Quandoquidem sensim quoties mutabitur auræ
 745 Conditio , lentum illa concipiente teporem ,
 Qualis post hiemem vernis sese explicat horis ,
 Blando per vacuum spatium tunc ista susurro
 Discurrens , sedem invadet sine Marte propinquam .
 Illa repentino sed quando excanduit æstu
 750 Languentes pertæsa moras infensaque paci ,
 Dum cupit infando arbitrio supponere cuncta ,
 Non aliter quam si regnum turbare Tyrannus
 Pacatum dira fraude aggrediatur , & armis ,
 Aeris in se omnis vicini provocat iras .
 755 Terrarum hinc paci foedandæ haud tristior ulla
 Pestis , secretis quam quæ silet aura cavernis ;
 Namque ubi sulphureis validum tentata calorem
 Concepit flammis , cocta intra viscera quales
 Terra parens vivas pascit , sine more tumescens ,
 760 Qua data porta ruit , neque enim tantam capere ullus
 Terrestris carcer , non ulla aut antra valerent .
 Heu quantum sese laxis jactabit habenis ,
 Frondosis quantam in sylvis dabit improba cladem !
 Scilicet hæc ventis natura , ut frigore pressi ,
 765 Dilatent ardore sinus sumantque vigorem .
 Nec tamen insanos post se ferre omnia ventos
 Dum cernis , prave & concessio robore abuti ,
 Orabis , tetro ut detenti carcere , supplex ,
 Arvorum tanto lucorumque absque periclo

- 770 Vipeream jubeantur ibidem proicere iram.
 Nam quo inconsultos petulans lascivia ventos.
 Non adiget dempta sibi libertate vagandi?
 Sæpe illis vasti contra latera ardua clauftri
 Vi magna obnisis, late conterrita tellus
- 775 Intremuit, montesque intus bacchantibus austris
 Nutarunt, gravibusque urbes cecidere ruinis;
 Dum festis læti Cives altaria donis
 Complerent, Divosque omnes in vota vocarent
 Solemni ritu, horrendam lato ore fenestram
- 780 Fornicibus summis ruptis templa alta dedere.
 Tunc muri postesque aurati atque ærea signa
 In terram prono impulsu descendere visa,
 Inque suos cineres moles augusta referri
 Involvens aras secum, turbamque precantum.
- 785 Jamque errans tota pestis sentitur in urbe,
 Procumbunt celsæ turres, & versa domorum
 Culmina, nec miseris requies datur ulla laboris.
 Hæc metuens justo imperio qui comprimit orbem
 Omnipotens hominum custos & providus auctor,
- 790 Majorisque mali cupiens avertere causas,
 Æterno non sic infestos carcere ventos
 Addixit, læti ut miseros spes nulla maneret
 Abscesus, quorum purgando maximus orbi
 Est usus, morbisque opera haud mentita fugandis
- 795 Pestiferis; sed molem & montes insuper altos
 Imponens Regem statuit, qui foedere certo
 Et premere & laxas sciret dare jussus habenas.
 His belli pacisque utentes legibus auræ
 Longius a centro quamvis arcentur amato,
- 800 Multa tamen prisca retinent post sæcula sedes,
 Et formidatæ terris dant jura subactis.
 At vero hospitibus, quamvis de stirpe superba
 Progenitis gravis ingressus plenusque laboris;

- Nam quibus excelsa est patria, & cælestis origo,
 805 Non ullum gremio corpus considerare inani
 Permittent, nisi quod volvendo temporis orbe
 Longa dies radiisque exsiccans omnia Phœbus
 Cunctis purgavit maculis purumque reliquit.
 Ætivo hinc pinguem campum torrente calore,
 810 Multa e corporibus decedunt tenuia frustra,
 Qualia vi magna cultos volitare per hortos
 Ingressis grato flores testantur odore.
 Sic plantæ ingratum quæcumque ex orbe comate
 Fœtorem emittunt panaces, absinthia sæva
 815 Abrotonique graves, & tristia centaurea,
 Arboreumque genus, variique animantia cultus,
 Arentes terræ, lapidesque & dura metalla
 Sole sub ardenti charissima pignora cælo
 Donantes, nebulæ obvelant tenui aera amictu,
 820 Panchæo quondam ceu thure calentibus aris
 Fumida se attollit nubes, & templa vaporat.
 Nullum sed majus dives capit aura tributum,
 Aggestis quam quod mittunt maria alta thesauris
 Cum reliquo humenti regno putribusque lacunis,
 825 Cælesti incaluit tellus cum maxime ab igne.
 Mutato sursum volvi tunc flumina cursu
 Dixisses, tanto se humor diffundit aquosus
 Turbine, cæruleæ tot sese ad sydera nubes
 Attollunt, parituræ ingentia flumina nubes.
 830 Non tamen avulsæ a propriis quæcumque recedunt
 Corporibus loca confestim suprema tenebunt
 Particulæ, quarum plures, deponere cunctas
 Quæ nondum labes pigro potuere calore,
 Imis suspensæ cæli in regionibus hærent,
 835 Ad terram non post multo gravitate resumpta
 Casuræ, quales nascentis tempore noctis
 Cernimus in speciem vapidi descendere roris.

- Ast aliæ, ferventes quæ subiere calores,
 Sunt magis aut natura, secretæ aut opere artis
 840 Dispositæ, in tenues ut possint ire vapores,
 Urgenti tota gravitati nocte resistunt:
 Mane tamen rigido constrictæ frigore casum
 Haud equidem effugient, unde & lucentia prata
 Expressis operit guttis argenteus imber.
 845 Denique sublimes quæcumque assurgere ad auras
 Vexatæ multum potuerunt præpete penna,
 Immensis cæli spatiiis per longa dierum
 Intervalla leves celebrant læto agmine cætus.
 Et ni fortuito, dum sic spatiantur & errant,
 850 Conflictu nexa inter se corpuscula molem
 Ætherea efficerent graviorem quam ferat aura,
 Jam sedes stabili præcelsas jure tenerent.
 Verum hæc dum festas vento indulgente choreas
 Exercent, alta ut quondam per dyndyma matres,
 855 Quæsito dum hærent amplexu, ac mutua figunt
 Oscula, dum reliquo removent se a corpore regni,
 Terrestremque habitum & leges moresque resumunt,
 Incipiunt placidis auris suspecta videri.
 Nam quid ab interno possint non hoste timere,
 860 Qui postquam cæli suprema admissus in arce,
 Ac prope jam superis divis æquatus honore,
 Crudelis tot signa dedit certissima belli?
 Festivos nec jam ludos pæanaque lætum
 Assimulat falsus, populi sed more rebellis
 865 Tranquillos miscet tractus fervente tumultu.
 Jam cæli pulchrum aspectum densissima nubes
 Eripuit, nigram terris jam sole remoto
 Invexit noctem, pondus nec sustinet æther:
 Ad terras cellsum credas descendere olympum,
 870 Subiectis tanta nubes mole imminet agris.
 Ac nisi scisuræ tantæ levis aura resistat

- Multiplici veluti florum flamine texta;
 In terram effundat toto se corpore nubes,
 Ingentem armento stragem stabulisque datura.
 875 Nec tamen idcirco petulanti nimbus ab ausu,
 Quem magis atque magis terras miser ardor habendi
 Et vani extimulant centri dominantis amores,
 Desistet cœptis gravibus, victusve recedet:
 Sed quo majorem vim contra senserit auræ
 880 Suppositæ, tanto magis hic affurget in iras,
 Nunc hostem & terrens tonitru, nunc fulmina sæva
 Ejaculans, aditus pandit sibi mille viarum:
 Innumeris adeo qua rimis finditur aura,
 Prorumpit largus discerptis nubibus imber,
 885 Exustis imber referat qui gaudia campis.
 Sæpe etiam in niveos globulos resoluta domorum
 Tecta, viasque albo conspergit vellere nubes,
 Aut concreta gelu lapidosæ grandinis imbre
 Concutiens agros involvit cuncta ruinis.
 890 Sic demum ingrato cæli se pondere solvunt,
 Sic gremio cives post tot discrimina rerum
 Exilio fessos longo pia terra receptat.
 Non tamen hoc tanto commotus turbine cunctis,
 Quas gremio fovit, terrestris material
 895 Particulis subito purgat sese aer apertus;
 Quin sibi non modicam servat cauteque retentat
 Illarum partem, nimio quæ pondere nondum
 Infirmam affligunt auram, contentus inanis
 Finibus e regni solos pepulisse rebelles.
 900 Quod si tantæ auris essent cælestibus iræ,
 Tantum vindictæ studium, ut corpuscula nulla
 Paucorum ob crimen patriis admittere regnis
 Contemptæ vellent, vitæ quam multa perirent
 Commoda, quam tristi lugerent omnia vultu!
 905 Nam, virides spargunt largo quæ flumine campos
 Ob-

- Obstructis cæli scatebris, nec rore cadente
 Æthereo, dulci saturans qui aspergine terram
 Extremum posset plantis avertere fatum,
 Languerent omnes siccis radicibus herbæ,
 910 Nec teneros clausus flores produceret hortus,
 Non gratos arbor fructus, non frondea sylva,
 Excussis foliis, longe protenderet umbras:
 Non hilari species campo, non gratia valli
 Prima foret, tristi sed cuncta horrore silerent.
 915 Ipsi tunc vitrei fontes & flumina magnis
 Excelso dorso portandis navibus apta
 Deficerent, nullo e venis humore fluente.
 Quin hic fœcundam stagnanti qui alluit unda
 Ægyptum, pingui liniens uligine campos,
 920 Cessaret sicco sitibundus flumine Nilus.
 Unde fames, solitos fructus tellure negante,
 Quanta sub hebræo grassari principe visa
 Longis septem annis, iterum insatiata rediret.
 Hinc hominū pecudūque genus, queis pabula nulla
 925 Alma daret tellus, avidum non rivulus haustum,
 Prolixæ mentem attoniti sub imagine mortis
 Errarent planctu querulo cælum omne cientes.
 Tunc etiam proprio tellus deserta liquore,
 Immundoque feros deturpans pulvere vultus,
 930 Compellente siti vastos aperiret hiatus:
 Nequicquam; neque enim, quos non acceperit ante,
 Aura potest latices sitienti reddere terræ.
 Interea cæli facies mutata timorem
 Augeret, nullos siquidem tellure vapores
 935 Mittente, ætherea unde evadat pinguior aura,
 Cæruleus color hic, splendet qui lumine tanto
 Æquoreis postquam Phœbus surrexit ab undis,
 Obscura testæ cælo ferrugine, abiret:
 Igneus & media veluti sol nocte micaret,

- 940 Non aliter nigra fulget quam veste pyropus ;
 Nec lucem noctemque inter discriminis esset
 Jam quidquam , cælestis quantum ad fornicis umbram
 Adtinet , atrato nisi quod circumdata peplo
 Innumeros nox cæca oculos aperiret ut Argos :
- 945 Alma dies servata ejusdem veste coloris
 Lumine tantum uno splenderet more Cyclopis .
 Quidquid enim mediis spatii super ardua mundi
 Protensum juxta positos discriminat ignes
 Sydereos , certo distinguens limite signa ,
- 950 Seu totum id plenum , veterum ut doctrina ferebat ,
 Æthere sit puro , quem nec sinus asperet ullus ,
 Seu vacuum , affirmant ut nunc multi , esse putetur ,
 Nulla oculos nostros possit cum luce ferire ,
 Lumine quippe caret proprio , caret atque reflexo ,
- 955 Haud valet externo visum mulcere colore .
 Quandoquidem ut vitæ sapiens rerumque magistra
 Exemplis repetitis experientia monstrat ,
 Commixti pariter veniunt cum luce colores .
 At quoniam cassum corpus quodcumque colore
- 960 Apparet nigrum cernenti , proinde necesse est ,
 Si semel æthereos linquant corpuscula tractus ,
 Exceptam in partes omnes quæ flectere lucem
 Possent , hoc medio excusso velamine cælum
 Atrata nobis monstrari in veste videndum .
- 965 Unde etiam contra glauco distincta colore
 Quod cæli niteat facies pulcherrima semper ,
 Efficiunt magnum sparsi per inane vapores .
 Scilicet hi recto venientem tramite lucem
 Detorquent , partim fractis partimque reflexis
- 970 Aurati solis radiis , lux multa latentes
 Permeat anfractus , crebrisque reflexibus icta
 Per vacuos post mille vices distracta meatus ,
 Languidior nostras tandem defertur ad oras :

- Diversis atque hinc intextus luminis aer
 975 Staminibus varii generis variique coloris,
 Quæ sejuncta prius rursus in se prona recurrunt,
 Cærulei, luci color est qui proximus albæ,
 Confusis radiis speciem velaminis offert.
 Hinc formosa suos surgens aurora colores
- 980 Elicit, immenso lateat quamquam æquore Phœbus,
 Utque idem eximiam texit sub vespere frontem,
 Avertunt venientem fera crepuscula noctem.
 Hinc pulcher cælo pluvio distendier arcus
 Et gemini quondam visi se attollere soles.
- 985 Præterea votis quod responsura coloni
 Assidui fructus varios ferat unica tellus,
 Detonsa & messe idem campus proferat uvam,
 Continuo partu nec terra effœta recepti
 Corrumpat sterili in gremio vim feminis aliam,
- 990 Attribui id totum debet prægnantibus auris.
 Cunctarum quippe hæ gravido cum femina rerum
 Asservent utero, fessæ succurrere terræ
 Haud cessant, ægræ & vires reparare jacentes,
 Nunc sale mordaci immisso, nunc sulphure vivo,
- 995 Nunc olei pingui succo, nunc nectare dulci,
 Qualia multa suis condit levis aura thesauris.
 Tantum captivis jactat sese illa vaporum
 Divitiis, tantis terram gravitate sequestra
 Accumulat donis, tantum ipsi adjungit honoris.
- 1000 Vidimus immensis clari ut vis abdita centri
 Diffundat sese spatiis, utque omnia cæcis
 E latebris molli trahat ad se corpora nexu.
 Hinc ordo rebus quantus, constantia quanta
 Addita, florentis quantum aucta & gloria regni.
- 1005 Argumentū ingens, centrū quando omnia querunt
 Corpora divino imperio rationis egena,
 Hic pacem, hic stabilem requiem, hic habitura salutem:
- No-

- Nobilius quoddam reliquis, quæ mente reguntur,
Naturis centrum optatæ superesse quietis.
- 1010 Huc si contendant homines, si pectore toto
Vicinum sibi nitantur complectier arcte,
Nulla licet legum scriptarum jura vigerent,
Horrent nullam commissaque crimina pœnam,
Hac lege interna mortalia corda movente,
- 1015 Hærebunt per quam divini vinculo amoris
Acrius inter se nexa & cum numine summo,
Nil erit æterni accendat quod numinis iram,
Nil usquam inflicta fuerit quod morte pïandum,
Depositis sed tunc vitiis quæ ferrea primum
- 1020 Desinet, & toto surget gens aurea mundo.

F I N I S.

Vidit

*Vidit D. Aurelius Castanea Cler. Reg. S. Paulli, & in
Ecclesia Metropolitana Bononiæ Pœnitentiarius pro Emi-
nentissimo, ac Reverendissimo Domino D. Vincentio
Cardinali Malvetio Archiepiscopo Bononiæ, & S. R. I.
Principe.*


Die 17. Julii 1774.


Imprimatur.


*Fr. Carolus Dominicus Bandiera Vicarius Generalis San-
cti Officii Bononiæ.*


ERRATA CORRIGE.

Pag. 7. linea 7. quœrit.	quærit.
Pag. 7. lin. 17. fuffe.	fufe.
Pag. 8. lin. 27. fuffeffio.	fuffeffio.
Pag. 10. lin. 29. brebior.	brevior.
Pag. 20. lin. 16. cordulam.	chordulam.
Pag. 21. lin. 16. deinc.	dehinc.
Pag. 26. lin. 15. fœnore.	fœnore.
Pag. 26. lin. 24. brebiores.	breviores.
Pag. 27. lin. 17. brebiori.	breviori.
Pag. 35. lin. 11. mœnia.	mœnia.
Pag. 41. lin. 9. exhibet.	exhibet.
Pag. 42. lin. 14. Alphæi.	Alphei.
Pag. 44. lin. 3. committant.	committant.
Pag. 50. lin. 19. qua.	quæ.
Pag. 55. lin. 14. Acclivi.	Acclivi.
Pag. 56. lin. 21. Defœvit.	Defœvit.
Pag. 57. lin. 28. circumdata.	circumdata.
Pag. 60. lin. 22. nullum quin.	quin ullum.
Pag. 69. lin. 11. cœtus.	cœtus.
Pag. 69. lin. 17. dyndyma.	dindyma.









Res. 8°
26
Ref. 16.466